HARDIE'S PROSE-LATIN VERSIONS

ARNOLD

# LATIN PROSE COMPOSITION

## LATIN VERSIONS OF THE EXERCISES

BY

W. R. HARDIE, M.A.

SOMETIME PROFESSOR OF HUMANITY IN THE UNIVERSITY OF EDINBURGH; FORMERLY FELLOW OF BALLIOL COLLEGE, OXFORD

LONDON
EDWARD ARNOLD (PUBLISHERS) LTD.

*First published* 1908
*Reprinted* 1930
*Reprinted* 1954



PRINTED IN GREAT BRITAIN BY
LOWE AND BRYDONE (PRINTERS) LIMITED, LONDON, N.W.10

# PREFACE

When exercises in composition are given back to a class or form, it is not unreasonable that a version or 'fair copy' of the whole passage should be put before the pupils, whether dictated or printed. The versions given in this volume were written for that purpose. But to supply a correct version, or one that he takes to be correct, is only a part of the teacher's business. Oral explanations, and hints given to individual pupils, are generally more important. I therefore had misgivings about consenting to supply a mere collection of Latin versions for publication. A 'Key' is easily misused. It is flagrantly misused, if the teacher condemns a rendering as wrong merely because it differs from that of the 'Key.' Apart from the possibility that the Key may be wrong, there are always several different ways of rendering a sentence (and the more difficult the passage, the greater the variety of possible renderings). Latin is not like French and German, which have a vocabulary agreeing, to a large extent, word for word with ours. Still, a set of versions may have legitimate uses. Shown to the learner as a whole, a version may give him a clearer idea of the general effect or style to be aimed at. Again, the teacher may not have time to think out a passage for himself or devise solutions for its difficulties; or the version may enable him to give a few hints to the pupils, before the exercise is done—more or fewer according to their

proficiency—of the kind that I have appended, in Part II., to Exercises I.-X.

The following versions, having been used in actual teaching, have been subjected to a good deal of scrutiny. In most of them, the probability of error is much diminished by the fact that they have been used in conjunction with Mr. James Mill, M.A., Lecturer in Latin in Edinburgh University, to whom I have already expressed obligations in the Preface to Parts I. and II. But the goddess of Rhamnus would at once resent the supposition that they are free from error. I shall be grateful for any corrections or suggestions, or better solutions of the many problems presented by the more difficult passages.

I have added a few notes, chiefly on passages where some principle emerges which has not been touched upon in Part I., or where two views might be taken about the meaning of the English, or where the rendering adopted is in some way allusive and involves a reference to a particular passage in an ancient author.

W. R. H.

EDINBURGH, *September* 1908.

# LATIN PROSE COMPOSITION

## LATIN VERSIONS OF THE EXERCISES

### I

Eo tempore habuit apud se Pyrrhus Thessalum quendam, cui Cineae erat nomen, virum prudentem, qui, cum discipulus Demosthenis fuisset, videbatur unus ex aequalibus suis ita dicere ut vim illam ac facundiam magistri velut praesentem in animos audientium reduceret. is se Pyrrho addixerat multisque legationibus missu eius functus est, in omnibus autem dictum illud Euripidis comprobavit:

> blando ore Siren, vincit eloquentia:
> nil fulminantis proficit Martis manus,

adeo ut de illo dixerit Pyrrhus plura Cineam verbis oppida cepisse quam se ipsum armis: idem semper eum summo in honore habebat, ei maxima quaeque negotia mandabat. ubi vero regem Cineas omnia parare intellexit ut in Italiam invaderet, cum forte otiosum nactus esset, paullatim in huiusmodi sermonem eum adduxit.

### II

Hac re confirmatus animi Pyrrhus multas se gentes domiturum sperabat: quantum ad orientem solem Alexander processisset, tantum se occidentem versus fines imperii prolaturum aliamque ex alia victoriam deinceps adsecuturum. traditur autem roganti Cineae, quocum praecipue consilia communicabat, quid post quamque earum, quas speraret,

victoriarum esset facturus, hunc in modum respondisse. Roma capta, brevi se totius Italiae dominum fore: deinde insula Sicilia mox potiturum, ex Sicilia autem in Africam transiturum ut Carthaginem ceteramque Africam suae dicionis faceret: harum regionum copiis cum conroboratus esset, validiorem se illis omnibus futurum qui tunc tam molestos se et superbos praeberent. sed instabat Cineas quaerebatque, quid tandem, cum omnium domini forent, essent facturi. ad haec subridens Pyrrhus—intellegebat enim quo hoc spectaret—vitam se iucundam acturos respondit: id quod iam tum sibi facere licere Cineas statim adfirmavit, nulla impensa opera, si modo quae sua essent, eis contentus esse posset.

## III

Exsecratus hominis improbitatem Fabricius, cum in eandem sententiam collegam adduxisset, missis extemplo litteris Pyrrhum monuit ut ab ea perfidia caveret. quae litterae eiusmodi fuerunt: 'C. Fabricius et Q. Aemilius, Romanorum consules, regi Pyrrho salutem. videris et amicos et hostes male elegisse. ex hac epistula, quam ad nos missam tibi tradimus, intelleges probis viris arma te inferre, improbis ac scelestis fidem habere. hoc non ideo tibi patefecimus ut gratiam tuam nobis conciliaremus, sed ne mors tua nobis dedecori esset neve perfidia bellum, quod virtute ac fortitudine non potuissemus, confecisse videremur.' his lectis litteris Pyrrhus, postquam de insidiis diligenter quaestionem habuit, medicum morte adfecit: idem autem, ne erga magnum Romanorum animum ingrati animi esset, captivos Romam nullo accepto pretio misit et Cinea legato, qui de pace ageret, rursus usus est.

## IV

Propter haec gratus apud populum Marcellus, ut qui amoenam visu urbem reddidisset eaque ornamenta adiecisset ut Graecarum artium varietas et elegantia omnis ante oculos

esset. at Fabium magis Maximum graviores probabant, qui capto Tarento nihil eiusmodi inde advexisset, sed auro, argento, ceteris, quae utiles essent, divitiis contentus deorum tabulas ac signa ibidem reliquisset, verbaque haec, quae certe memoria digna essent, edidisset ; linquenda Tarentinis, quae eis irascerentur, numina. Marcello obiciebant, primum, quod invidiam urbi Romanae conflavisset cum non homines tantum sed etiam deos in triumpho duxisset : deinde quod populum agris colendis, bello gerendo adsuetum, luxuriae et inertiae ignarum, quique esset (quod de Hercule dixit Euripides)

asper rudisque, gerere magna sed potens,

ad molliora vertisset desidiaeque et vaniloquentiae occasionem praebuisset : iam enim maiorem temporis partem ita eos consumere ut de aere, ebore, marmore eorumque operum fictoribus disputarent.

## V

Proeunte bello, cum in Lucania Bruttiisque cum imperio esset, altius animum dictatoris perstrinxit, proceres aliquos eius regionis interficiendo, quorum numquam in tabulis proscriptorum nomina stetissent, divitiasque eorum sibi ipsi occupando. Sulla autem, etsi ad caedem immodicus, nihil non cum ratione agebat quaeque ad debilitandas popularium partes excogitaverat ad privatam avaritiam verti nolebat. Crasso vehementer irascebatur quod eos occidisset qui numquam a se ipso damnati essent ; itaque imperio perfunctum in otium remisit velut ignominia quadam notatum. non diem dixit, non senatu movit, sed velut notam eius nomini adscripsit, ut cui neque fidendum esset neque negotium mandandum.

## VI

Saepe elusus, semel iusto proelio pulsus est : alias, cum clades accipi potuisset, ut aequis manibus discederetur ad-

ventus ei collegae Metelli praestitit. sed neque ipsum animus umquam defecit neque legionum quam in duce ponebant nutabat fiducia. subsidia quidem patres, quod facile crederes, maligne subministrabant; incidit adeo tempus cum biennii militibus stipendium deberetur, ipse autem maiorem rei suae partem consumpsisset, ne suis egestate constaret fides. sed non neglegens urbs eius, non confragosa regio, non coniunctae in hoste, sicut in paucis umquam, virtus et astutia prohibere poterant quominus pedetemptim quo volebat progrederetur.

## VII

Eodem tum quoque inclinabant animi; itaque Clodium libenter exceperunt, amicum militum vocabant. atque ille quidem eorum vicem se dolere simulabat et hunc in modum loquebatur: nullumne bellis ac laboribus finem statui? aliam ex alia gentem prorsus debellaturos, vagando per orbem vitam consumpturos? quid autem mercedis pro tot tamque gravibus itineribus dari? quid nisi ut plaustra et camelos Luculli custodirent, pateris aureis et gemmis onusta? at Pompeianos milites iam exauctoratos cum uxoribus liberisque agros fertiles insidere, amoenis in oppidis sedem ponere, non quod Mithradaten ac Tigranen in deserta atque invia compulissent regumque Asianorum urbes evertissent, sed quod cum fugacibus in Hispania latronibus, cum fugitivis in Italia manum conseruissent. si in aeternum esse in manibus ferrum oporteret, animos saltem totos et quidquid membrorum superesset ei duci servarent qui nihil sibi tam decori esse quam suorum divitias existimaret.

## VIII

Interea plebem urbanam ludis donisque adeo devinxerat Caesar ut frustra obtestante collega, spreta patrum auctoritate, qui exiguum ei munus mandabant, provincias Cisalpinam et Illyricum in quinquennium cum quinque legionum

exercitu deferret. nempe terruerant urbem motae rursus gentes, quae trans Alpes sitae imperio parebant. coeptante seditionem Catilina, statim Allobroges arma rapuisse. iam eo se accingere Helvetios ut a fontibus Rheni Rhodanique occidentem versus universi migrarent: hinc fore ut alii quoque e sedibus suis populi proturbarentur novique porro concitarentur tumultus. hoc metu perculsi cives vigilantiam magistratuum, remedia in rebelles flagitabant. parum sane constat, quibus insidiis res transacta sit, ut operam navaverint Caesaris amici, quomodo et ad opem ferendam allectus sit Pompeius et elusi coactive optimates: hoc patribus persuasum esse scimus, irato Catone et pessima vaticinante, ut imperio iam immodico, quod suis amoribus ultro populus obtulerat, Transalpinam quoque provinciam adicerent.

## IX

Ubi vero periclitari gravi morbo Pompeium innotuit, commoti Italorum animi, urbemque ex urbe metus incessit. adiri templa precantium turba, caedi hostiae, vota pro salute eius nuncupari. vix umquam effusius studia populi exarsisse crediderim. ut praeter spem convaluit, protinus ad Pompeium, veteres populi amores, omnes gratulatum ibant, faustas in Pompeium voces, dum lectica Romam tardo itinere portatur, circumfusi iactabant omnes. nec ullo clarius exemplo patuit caecas esse hominum mentes, inania mortales cupere. nimirum voluisse deos, rerum futurarum praescios, e lubricis vitae casibus tum maxime subtrahere Pompeium cum summa laude floreret: intercessisse urbium populorumque preces: quem salvum vellent, quem colerent, ideo servatum ut acie victus obtruncaretur.

## X

Idem auctor erat ut tot rebus gestis tumescenti quam primum in quaque provincia succederetur neque ullae acci-

perentur condiciones quas ille toties ad rem componendam tulisset. dum modo huc modo illuc inclinat Pompeius, paene in furorem actus, ubi tandem cis Rubiconem esse Caesarem adlatum est neque ad obsistendum quicquam paratum erat, temperare sibi non potuit, sed proximo senatu vatem spretum neglectumque agebat, quem tandem res ipsa veracem esse comprobavisset. si his decem annis sibi auscultare Patres voluissent, numquam eventurum fuisse ut alterius potentiam nimis metuerent, in alterius viribus solam spem ponerent salutis. decreto tamen suffragabatur, quo bellum Pompeio permitteretur, hoc per inrisionem usus argumento, qui magnorum essent malorum auctores, eorum esse scire quomodo sanarentur.

## XI

Conversus in fugam Pompeius multos e suis fastidio multos formidine adfecit. fugit Cato, sed invitus coactusque, tamquam ultimae cederet necessitati. fugere Cicero noluit reversusque Romam rerum eventus exspectabat, reverterunt e senatoribus multi primoribusque civitatis. Magistratus proceresque, quorum res in Italia periclitabatur, atrocissimis fugientium vocibus terrebantur, victores se et omnium dominos mox adfore minitantium, terrebantur ipsius Pompei, saepe hunc in modum loquentis 'hoc Sulla potuit, ego non potero?' legiones ex Oriente Sullam reduxisse, caede promiscua dictaturam adeptum esse: eius discipulum Pompeium esse, eius in locum venisse: eadem fortasse ausurum. hastam, rapinam, civium proscriptiones Bibulo et Favonio placuisse: haec Lentulos et Labienos et saevissimum quemque Pompeianorum palam agitare.

## XII

Magna erat alea belli Hispanici et quae Caesarem prorsus eversura esset, si modo pugnare noluissent hostes et Sertorii ritu latrocinari quam bellare maluissent. si detrectato

proelio in montes integris viribus se recepissent, anceps Caesari electio relinquebatur. si eos insecutus diuturno implicaretur bello, periculum erat ne a tergo Italiam amitteret. sin in media Hispania bellum gerere nollet et cum milite subsidiario in Italiam reverteretur, non eo militum numero carere poterat qui ad sustinendos duces Pompeianos satis esset; nempe in fugam versis quas reliquisset copias rursus a tergo institissent. sed manum conseruerunt deletique sunt. iterum id Caesari, quod unum saluti esse poterat, Fortuna largita est.

## XIII

Traiecit mare Ionium Oricoque et Apollonia potitus naves remisit quae reliquas copias transveherent. sed fremere in Caesarem miles, dum ad portum iter facit, tot laboribus, cum novis toties hostibus congrediendo defessus: quonam se hunc ducturum, ubinam dari finem laborum? in aeternumne vexaturum, tamquam membra sibi e saxo, ferrea corpora essent? at ipsum ferrum multis lacessitum plagis senescere; ipsa scuta, ipsas loricas quietem flagitare. nonne vulneribus suis edoceri posse Caesarem, se mortales esse, eosdem sibi quos ceteris hominibus sensus esse, eodem pacto se moveri? ne deorum quidem potestatis esse, tempora anni mutare, ab hiberno mari procellas ac tempestates submovere. atqui eo scilicet tempore se a Caesare periculis obici, tamquam fugeret hostem, non ipse fugienti instaret.

## XIV

Pompeio quidem ipsi parum placuit, cum semper meminisse eum iuberet, militem se imperatori, non civem partium duci obsequium praestare. sed in novis legionibus instruendis tam strenuum se tamque impigrum praebebat adeoque alios quo ipse flagrabat studio incendebat, ut vix fuerit in exercitu qui pluris haberetur. ante proelium Dyrrhachinum eam apud suos orationem habuit cuius diu servata est memoria.

narrat Plutarchus, omissa eum qua uti solitus esset taciturnitate tam fervide facundeque de libertate ac virtute, de morte et gloria locutum esse ut secuturos se iurati sint, quocunque duceret, neque fidem fefellerint. conserto mox proelio operam viriliter navaverunt, Caesaris veteranos pepulerunt munitionesque quibus premebantur perruperunt. quod si tam uti victoria scivisset Pompeius quam adipisci sciebat, poterat ille dies hosti exitio esse.

## XV

Non secuti equitem Caesariani, sed in peditem versi totum illud cornu, quod equites non tegebant, ita sunt adorti ut mox undique circumventi Pompeiani, cum hi a latere, a fronte decima legio ingrueret, sustinere impetum hostium diutiusve obsistere non potuerint, cum quibus insidiis hostem inretire cogitaverant eis se ipsos inretitos sentirent. quibus sic fugatis, ex pulvere, quem ferri per aera videbat, satis intellexit Pompeius quid equitibus suis accidisset. quo quidem tempore quid illi viro in mente fuerit, difficile sit dictu: videres certe attonito confusoque similiorem quam ei qui Magnum se Pompeium esse meminisset. in castra sua tardus se recepit, ne verbum quidem cuiquam locutus, neque alium se praebuit quam qualem his versibus Aiacem Homerus depingit:—

at Iovis altisoni favet inclinata voluntas
Priamidae. mirus Graeco praecordia terror
miscuit et sensus omnes: stupet Hectore viso,
constitit, insuetoque tremens horrore reponit
lunatum in tergo clipeum. sic torva retorquens
lumina, tardigrado passu sua castra petebat.

## XVI

Pompeius igitur, postquam valere Corneliae dixit, quae mortem eius praecipiens animo gemebat, duos centuriones et

Philippum simul ex libertis et servum Scytham descendere in Aegyptii naviculam ante se iussit: cumque aliqui eorum qui cum Achilla erant manus tenderent ut eum adiuvarent, conversus ad uxorem et filium hos senarios Sophoclis recitavit:

quicunque regis ad fores supplex venit,
cum limen intrat, liber esse desinit.

ultima haec verba amicis locutus extemplo in scapham desiluit. cum autem inter navem ac litus non nihil interesset spatii, ubi a nullo se eorum, qui una vehebantur, non modo obsequio sed ne alloquio quidem observari intellexit, Septimium intuens 'videor' inquit 'te nosse, amice: nonne enim fuimus olim commilitones?' at ille capite tantum adnuens neque respondit neque aliam praebuit observantis speciem. illis igitur tacentibus, sumpto in manus libello, in quo Graeca erat perscripta oratio quam apud Ptolemaeum regem habiturus erat, legere Pompeius coepit.

## XVII

Ubi convenerunt, sic rem exorsus est ut CCC viros laudaret quod tanta alacritate ac constantia saluti publicae re, corpore, consilio subvenissent; ne alia alii sentirent hortatus est neve fuga sibi quisque consulerent. nam coniunctos et una agentes, neque tam Caesari, si bellum ducerent, contemptui fore, et si ad deditionem confugerent, veri esse similius fore ut eis parceretur. hac de re diligenter deliberarent; quodcumque statuissent, culpae se expertes habiturum. si quo rerum aestus ferret, ferri vellent, temporum necessitate mutatos existimaturum; sin minanti fortunae obsistere ac libertatis causa nova pericula suscipere, et commilitonem se et ducem futurum, donec ultimum rerum suarum discrimen patria experta esset: non autem Uticae aut Dyrrhachii patriam esse, sed Romam, quae ingentibus opibus subnixa saepe vel ex graviore casu emersisset.

## XVIII

Multa certe sibi id temporis esse subsidia, hoc autem praecipuum, quod cum eo homine res esset quem multa simul distinerent negotia. ad Pompeium adulescentem Hispaniam descivisse, Romam, nondum adsuetam servituti, si spes aliqua ostenderetur rerum novarum, iugum excussuram et arma sumpturam. neque detrectandum esse periculum; haberent ante oculos ipsum Caesarem, pro causa iniquissima sanguinis sui prodigum; illos, si bene res cessisset, felicissimos victuros: sin secus accidisset, incerta belli mortem insignem finituram esse. consultarent tamen inter sese quid agendum esset, deos primum precati ut quemadmodum summum studium ac virtutem iam praestitissent, sic cetera consilia fausta ac felicia redderent.

Haec locutus Cato nonnullis fiduciam, immo vero spem quoque iniecit. plerosque sic commovit impavidus ille et magnus animus tantaque viri humanitas, ut instantis periculi paene obliti, unum illum ex ducibus invictum arbitrati, unum Fortunae fluctibus immersabilem, se suaque ei committerent; opibus, armis, ut ipsi visum esset, uteretur; melius esse duce Catone ac signifero mori quam ita vitam tueri ut tantae essent virtutis proditores.

## XIX

Sic a militibus suis destitutus cum satis sciret senatum Uticensem portas Caesari, ut primum adesset, patefacturum, omne quod a se praestandum esset praestitisse se Cato existimavit. restabat mare et in Hispaniam fuga, ubi devictis ceteris, vix spe reliqua Pompei duo adulescentes in Baetica delectum habebant. sed adeo ei de re publica actum videbatur ut inutile esset ulterius niti. noverat enim illorum temeritatem et violentiam; si necopinato id eis Fortuna indulsisset ut Caesarem depellerent, numquam leges et libertatem restituturos: fore ut uno domino duos Roma

mutaret : non suum esse, ut hoc fieret, bellum ducere. nihil supererat nisi quod unum in rebus adversis honesto perfugium est, mors voluntaria. consilium, quo res egebat, praebebant praecepta Stoicorum, quae tanto semper studio erat amplexus. cum pugnare noxium fortasse, certe inutile esset, deditio inhonesta, mori reliquum erat.

## XX

Dum Smyrnae commorantur, rogavit Cassium Brutus ut immensae pecuniae, quam comparavisset, partem sibi traderet : consumptam enim omnem esse, quam ipse habuisset, in eiusmodi classem ornandam quae ad mare obtinendum sufficeret. contra Cassio suadebant amici : iniquum esse, quam ille tanta parsimonia, tanta invidia paravisset, eam Bruto in hoc pecuniam dari ut se commendaret omnibus gratiamque sibi apud milites conciliaret. inmotus his vocibus Cassius tertiam partem omnium quae habebat Bruto tradidit. inde in suam uterque provinciam discesserunt.

Capta Rhodo Cassius inmitissimum erga Rhodios se praestitit : quamquam primo introitu, cum regem ac dominum eum nonnulli appellassent, neque regem se neque dominum esse responderat sed eius qui regnare ac dominari voluisset eversorem.

## XXI

Hunc in modum composito paratoque senatu, multa apud eos Augustus meditata oratione disseruit. civilis in promptu animus : suberat cupido dominandi. pietati datum ut patris mortem ulcisceretur. multa praeterea contra indolem suam se fecisse, multa necessitate constrictum, cum triumvir cum collegis indignis haud sponte sua coniunctus fuisset : et vivo quidem Antonio impetrasse a se patriam ut ne Romano degeneri barbarorumque reginae se diripiendam traderet : iam tandem his vinculis solutum simul officio, simul voluntati suae se morem gerere. testes essent dei, omnia, quae antiquitus

obtinuissent, senatui populoque a se restitui iura. nihil aliud se optare quam civem inter cives versari quaeque patriae paravisset eis et ipsum frui. commoti tantopere patres ut referre singula nequeam quae simularint dissimularintque. confidere Augusto periculosum: periculosius si diffidere viderentur.

Sic aliis alia sentientibus vox tamen una omnium fuit: ne detrectaret rei publicae gubernacula: servavisse eum rem Romanam: ne desereret servatam.

## XXII

Nec longe abscesserat, cum retractus ad solium principis coram legionario milite causam dicere iubetur. tum vero in iras exardescit ducis superbia. non se ut victum hostem, non ut vetere dicione obstrictum, sed sponte sua, Romani nominis maiestatem ut veneraretur, venisse. ita diadema posuisse, ut, sicut Tiridatae Neronem, sibi quoque regnum redditurum Traianum putaret. ad haec princeps brevi et inmiti oratione respondit: in formam provinciae Armeniam cessisse, nullos posthac Armeniae reges: ceterum exuto regno iret quo vellet incolumis ipse, irent comites. ferocior Arsacidae animus erat quam ut nondum temptato proelio sub iugum iret. tradunt arma eum rapuisse, mox iussu Traiani occisum, non adeo magnum animum praebentis ut victo parceret.

## XXIII

Instabat tamen princeps, quamvis ingruentibus periculis: et forti tandem fortuna favere coepit. quippe coniunctae inter se gentes, quae ad Rhenum Istrumque incolunt, positis simultatibus id agebant ut uno simul impetu vallum Romanorum perfringerent. feminae quoque eodem studio accensae una cum viris arma ferre, una occumbere. nec saevitia hiemis absterrebantur. tradunt scriptores, cum glacies esset, provocatum ab hoste militem Romanum ut per alveum gelu

constrictum vir cum viro depugnaret: perculsos primum, ut qui ab apricis terris venissent, mox substrato clipeo gradum firmare didicisse, manum conserere, vincere ibidem aut vinci. nec quisquam apud Romanos ipsum principem constantia superabat: nemo caeli frigora, nemo taedia vitae castrensis, nemo aciem et caedes tam aequo tam forti animo perferebat.

## XXIV

Nec dubia curiae nec diversa voluntas fuit. nam et origine Gordiani et conubio cum clarissimis Romae gentibus coniuncti multos ex ipso ordine, utpote pollentes opibus, obnoxios habebant, multos propter virtutem amicos: rem publicam autem cum mitissime gessissent, grata spes ostendebatur fore ut non modo togae cederent arma, verum etiam ut leges et libertas restituerentur. quippe veriti patres ne vis militum ingrueret, antea quidem Alexandri necem praetermiserunt inultam delatumque principatum homini agresti ac barbaro sanxere, tum vero adflictae patrocinium libertatis et humanitatis susceperunt. nec placabili in senatum nec occulto odio flagrare Maximinum: non omnia cedendo iram eius se delenire potuisse, non culpam quam cautissime vitando suspicionem quoque culpae vitaturos. sibi igitur se consulere, si eius incepti fierent participes quod, si secus evenisset, sibi primis exitio esset futurum. haec atque alia fortasse secretiora congressi antea consules ceterique magistratus agitaverunt.

## XXV

Ut primum inter eos convenit, omnem ordinem in aedem Castoris convocant, vetere et arcano ritu, quo intenderent animum patres, celarentur consulta. tum Sullanus consul hunc in modum locutus est: 'Africae provinciae consensu, Patres Conscripti, principes appellati sunt Gordiani, uterque consulari dignitate, alter proconsulari imperio a vobis auctus, alter legati munere.' deinde crescente audacia 'agamus'

inquit 'iuventuti Thysdrensi gratias, agamus Carthaginiensium fidei, qui nos a taeterrimae beluae saevitia fortissime vindicaverunt. cur haec tam lenti, tam cunctabundi accipitis? cur sollicito voltu alius alium intuemini? ecquid est cur dubitetis? num amicus huic urbi Maximinus? immo vero di faxint ut hoste tam infenso quam celerrime careamus! ut Gordiani patris prudentia et felicitate, virtute et constantia filii quam diutissime fruamur! languescentem fervidus curiam consul erexit. nullo dissentiente confirmatus Gordianis principatus hostesque Romani nominis nuncupati sunt Maximinus ipse, filius, Maximinani: edicto autem grandia praemia promittebantur si qui virtutis ope et fortunae eos sustulissent.

## XXVI

Sed brevis Tacito gloria, brevis iam vita erat reliqua. nam cum media hieme ex mollissimo secessu Campaniae ad Caucasi montis radices demigrasset, insolitis militiae laboribus dispar fuit. quippe fessum corpus aegra insuper mens urgebat. nam militem ira flagrantem, suis commodis intentum paullisper studia erga rem publicam tenuerant: mox renovari augerique irae, per castra grassari atque ipsum adeo intra tabernaculum senis principis; quem, cum mitis eius lenisque indoles nihil nisi contemptui esset, angebant cottidie et factiones quas componere non poterat, et flagitantium quae concedere nefas esset importunitates. igitur, etsi speraverat rei publicae discordiis mederi se posse, rem sibi pergratam, brevi tamen contra licentiam militarem invalida legum vincula spemque hanc abreptam sensit. properata mors angoribus, et cum incertum sit utrum innocenti principis sanguine manus perfuderint milites, illud satis constat, eorum insolentia vitam ei praecisam.

## XXVII

Ille autem negabat nisi redditis de quibus ambigeretur agris ullum foedus quod firmum ac diuturnum esset feriri

posse : minatusque adeo est, qua erat ferocia, si re infecta legatus rediisset, ineunte vere se in aciem descensurum et causae iustissimae validissimis armis opitulaturum. missus qui haec perferret Narses, cum summa urbanitate, summa comitate praeditus esset, mandata regis, quoad per officium licuit, mitiora ac suaviora reddere conatus est. ubi vero et de re et de verbis satis in consilio principis deliberatum est, hunc in modum responso dato legatum dimiserunt : integrum esse Constantio, quae temere et iniussu suo procuratores egissent repudiare : non tamen a foedere aequo et honesto abhorrere principem : illud vero maxime et indecorum et absurdum esse, victori ac summa rerum potito easdem pacis condiciones ferre quas tum quoque aspernatus esset cum intra Orientem et fines angustos imperium stetisset. ancipitem esse Martem ; meminisset Sapor, ut saepius proelio victos esse Romanos, ita belli eventu perraro non victoriam reportavisse.

## XXVIII

Qui tantum abfuerunt ut de laudibus Iuliani quicquam detraherent, ut faterentur atque in maius ultro augerent si quid apud populum fama pollebat, artes eius eximias, in rem publicam merita egregia. simul obscuris vocibus significabant, posse extemplo in scelera perniciosissima virtutes verti, si aut levitati suae quam officio plebs obsequi maluisset aut apud victoris exercitus ducem spes ultionis potentiaeque nemini obnoxiae fide potior fuisset. Constantium, cum suam vicem timeret, praecavere universorum saluti, rem laudabilem, qui ex intimo eius consilio erant praedicabant : ipse secreto, neque fortasse se ipsum non fallebat, odio atque invidiae honestiorem timoris speciem praetendebat, cum erga tot tantisque virtutibus praeditum Iulianum iampridem infensus esset.

Igitur pacata, ut videbatur, Gallia, intento provinciis orientalibus periculo, consilium ineunt eius familiarissimi neque absurdum neque a rerum statu absonum : exuere

armis Caesarem statuunt, revocare eas copias quae summa fidelitate vitam eius dignitatemque tutabantur, robur veteranorum, qui ferocissimas Germaniae gentes apud Rhenum devicissent, ad longinquum contra regem Persarum bellum avertere.

## XXIX

Ubi inluxit, acriores eo, quia resistebatur, milites vi regiam ingressi correptum neque tamen non reverenter habitum Iulianum, quem imperio destinaverant, per vias Lutetiae strictis gladiis comitati ad tribunal deducunt multoque identidem clamore imperatorem salutant. ille seditionem coeptantibus obsistendum esse ratus, id quod certe non magis officii quam prudentiae fuit, ut recta voluisse, vi tamen coactus esse videretur, modo universos, modo singulos compellans, deprecari, interdum indignari, mox obsecrare ne victoriarum tam insignium splendorem commacularent, polliceri denique, si statim in fidem rediissent, impetraturum se a principe non modo ut ultro eis omnia ignoscerentur, sed ut iussa ipsa, quae moleste tulissent, revocarentur.

At sceleris sibi conscius miles devinxisse beneficio Iulianum maluit quam clementiae principis se permittere. studio primum incensi paullatim alio tendere: moram aegre ferre, postremo ira exardescere. preces, querelas, minas usque ad horam tertiam immotus sustinuit Caesar neque ante concessit quam saepenumero audierat, si vivere vellet, regnandum esse.

## XXX

Tradunt autem id egisse Iulianum, quod nec per se iniucundum lectori est nec ab indole eius abhorret, ut velut insidias strueret Chamavis exitumque idem fabulae satis callide comminisceretur. pacem eos petentes regis filium poscit: neque enim alio dato obside se eis fidere posse. tacere barbari, interdum in lacrimas gemitusque effundi,

quo se verterent nescire: mox flebili sermone dux eorum longaevus conquerebatur, non iam suam vicem amisso filio sed civitatis quoque sibi dolendum esse. dum ad solium Caesaris humi iacent, repente ante oculos adfuit puer regius, quem occisum crediderant: gaudia hinc et clamores: ubi vero rursus conticuerunt, hunc in modum eos Caesar allocutus est. 'aspicite' inquit 'tu filium, vos principem, quem deflevistis, quem vestra culpa amissum di vobis Romanique restituerunt. hunc ego adulescentem servabo educandumque curabo, magis ut virtutis meae documento sit quam ut vestrae fidei pignori. quod si quam iurastis fidem violaveritis, non ab insonte poenas respublica repetet sed arma in sontes parabit.' decedunt summa admiratione commoti barbari, gratissimis erga principem animis.

## XXXI

Plerosque regum, si purpuream vestem detrahas, inter infimos hominum statim versari videas, ne spe quidem relicta fore ut rursus e tenebris emergant. In Iuliano eam virtutem dispiceres quae haud multum fortunae referret acceptum. nam unus e multis in qualibet civitate natus eo ascendere potuisset ut rebus domesticis praeesset, exercitus duceret: si dominatio, res lubrica ac ventosa, adepto displicuisset, si prae prudentia eam adipisci noluisset, easdem ingeni artes adhibendo, dum solus ad lucernam libris operam daret, et vivus felicitatem nullis regibus concessam et apud posteros memoriae diuturnitatem esset consecutus.

Quem si cum prioribus conferas, minus ingenio validum, minus sublimem C. Iulio fatearis; defuisse eam, quae in Augusto summa fuit, prudentiam. firmior Traiano virtus fuit neque tam de industria quaesita, simplicior Marco magisque secum ipsa consentiens sapientia. Iulianus tamen res adversas constanter, modeste secundas talit. igitur anno post mortuum Severum centesimo ac vicesimo eum sibi Romani rursus praepositum viderunt qui non celerius voluptati quam

officio obtemperaret, qui civium miseriis sublevandis animisque confirmandis operam navaret idque semper antiquissimum haberet ut rebus praeessent qui optime praeesse possent felicesque iidem qui honesti essent.

## XXXII

Ad sumendam ultionem simul pudor principem simul beneficiorum memoria, quibus haud facile resistitur, incendebant. nam cum vocante Gratiano ad summam rerum accessisset, mortem eius inultam praetermittere non poterat ut non veteres iniurias tenere memoria, rem exsecrabilem, beneficiorum recentiorum oblitus esse videretur, inita autem cum auctore caedis amicitia sceleris quoque partem suscipiebat: ipsam adeo iustitiam subrui labefactarique hominum societatem necesse erat, si Maximo caedes impune stetisset, raptaeque vi potentiae exemplum potestatem principis vix tandem elaboratam concutiebat sceleraque ac calamitates, quae saeculo priore viguerant, reducebat.

Cogitabat contra: privatis hominibus semper pudori obtemperandum, semper gratum praestandum animum: principi alia antiquiora interdum esse: neque iustitiae humanitatisque praecepta obstare quominus vel foedissimi sceleris auctor poenam effugeret, si in eum animadverti sine insontis populi exitio non posset. fortissimas provincias nullo quidem iure, possidere tamen Maximum: belli Gothici infortuniis, ipsa immo victoria exhaustas opes Orientis: neque inanem esse metum ne, si robur ac vitam rei publicae dubium ac perniciosum certamen contrivisset, debilem victorem ingressi a septentrionibus barbari facile diriperent.

## XXXIII

Modicis primum verecundisque querimoniis grassabantur: insimulare iniuriarum procuratores, ipsi principi vitam victoriamque diuturnam implorare. hinc Iustinianus, inso-

lentiam contumeliasque increpitans, adverterent animos, cohiberent sese, admonuit: tacerent Iudaei, Samaritae, Manichaei. nec tamen desistebant Prasini, quin misericordiam ei movere conarentur; egenis sibi et insontibus iniuriam inlatam: ne incedere quidem per vias tutum: in nomen coloremque suum ab universis saeviri. proinde emori liceret, modo iussa illius, illius stipendia merentibus. verum iterandis iniquis violentisque probris imminui imperii decus: itaque exuere se fidem, quam ei imperatori dedissent, qui ius iustitiamque suis denegaret. infausto patrem eius astro natum: ipsum carnificem, stolidum, imperiosum, addito peierandi crimine, probrosis vocabulis dictitabant. tum vero irasci princeps, et audiri vox interrogantis, num vitam nihili facerent: adsurgebantque simul Veneti exardescentibus odiis, et infestos per circi spatia clamores ingeminabant. dispari igitur certamine digressi Prasini vim metum undique circumferebant. quo tanto discrimine circumagi urbem sicarii quidam infames, septem numero, quos utrisque ex partibus damnaverat praefectus: deinde ad solitam supplicio sedem (loco Perae nomen) extra moenia deferri. et quattuor quidem ferro, infelici arbore alius statim necati: quod cum reliquis intenderetur, rupto forte laqueo vivi ad terram delapsi sunt: rem populus plausu excepit. horum cum alter Venetae, alter Prasinae esset factionis, pariter ambae ira incensae sunt, hae domini crudelitate, illae ingrato patroni animo: factaeque in breve tempus indutiae, donec liberatis captivis ultione se explevissent.

## XXXIV

Solon autem, etsi iam admodum senex erat neque ullum habebat adiutorem, in publicum progressus civesque allocutus modo imprudentiam actorum ignaviamque exprobrabat, modo hortabatur admonebatque ut pro libertate sua aliquid agerent. quo tempore illa quoque edidit verba: facilius fuisse incipienti regno obsistere et prohibere ne institueretur;

cum institutum esset et aliquantum crevisset, honestius esse destruere. ubi vero prae metu eos quae dicebat animadvertere non posse intellexit, domum reversus armisque ad ianuam positis 'feci' inquit 'quod potui ut patriam patriaeque leges defenderem.' neque ultra in publico adversatus est. cum nonnulli ut fugeret hortarentur, neque aurem praebuit et tam constans animi fuit ut versus adeo conderet, quibus sic cives suos increpabat:

credula si nocuit vestris ignavia rebus,
  nolite id superum crimen habere deum;
custodes ipsi dominis atque arma dedistis
  pressistisque gravi libera colla iugo.

(*Aliter conversum.*)

si iura vestra prodidit stultus timor,
non id deorum est crimen. excubias eris
ipsi dedistis et gravi collum iugo
pressistis ipsi. gemere nunc serum est mala.

## XXXV

Cum Pausanias rex Lacedaemoniorum contumeliam vobis inferebat neque eo contentus erat, quod suis civibus summam belli curam detulerant Graeci, vestra autem civitas, cum re vera eos in libertatem vindicasset, de principatu tamen certare cum Lacedaemoniis noluerat, ne invidia socii commoverentur: cum Pausanias, inquam, his inflatus honoribus, Delphis in tripode duos versiculos inscripsisset, quem tripodem Graeci, qui Salamine ac Plataeis una dimicaverant, communi sumptu faciendum curaverant et pro monumento victoriae de barbaris reportatae Apollini dedicaverant—qui versus eiusmodi sunt:

Graecorum ductor Persis tibi, Phoebe, fugatis
  victor Pausanias haec monumenta dedit—

tamquam et res gesta et donum suum esset, non commune opus sociorum—propter hoc Graecis ira incensis pro tota

societate Plataeenses cum diem dixissent Lacedaemoniis apud Amphictyonas multamque mille talentorum inrogassent, versus illos delere coegerunt deletisque omnium nomina civitatium inscribere quae proelii participes fuissent.

## XXXVI

Iam vero inde, ubi ad aram stabat, voces excipiebat deliberantium, mori se an vivere expediret. gravissimus quisque et honestissimus ex senatoribus Syracusanis supplicem esse servandum censebant. revererentur vicissitudines rerum humanarum, irasci deos superbientibus meminissent. non id quaeri, quas meritus esset poenas Ducetius, sed quas exigere Syracusanis, civitati clarissimae, decorum esset: neque decore eum occidi, quem iam Fortuna oppressisset. id unum magnanimo populo et nihil sordidum cupiente dignum esse, parcere supplici et custodes supplicum vereri deos. suffragabatur orationi quod in quoque erat adfectus honestioris: neque dubium fuit populi responsum: clamore universorum res comprobata est.

## XXXVII

Sed cum maturam necdum lectam vindemiam rapere exercitus posset, solum ducem ad colloquium accipere et quae ferret audire non recusabant. hac venia quantum poterat usus Brasidas, quem non imperitum dicendi, ut Lacedaemonium, fuisse tradit Thucydides, ideo se venisse professus est ut Graeciam liberaret quaeque polliciti Lacedaemonii arma sumpsissent rata faceret. venisse autem summo periculo: in ea igitur quam primam adiisset urbe quod obsisti sibi intellegeret, de spe deiectum moleste ferre. quid enim metuerent? num copias sibi deesse? Nisaeae quidem Athenienses, cum auxiliis sui carerent, illi numero plures essent, manum conserere noluisse: num parem exercitum Acanthum mari transvecturos? an de fide sua dubitarent? obstringere se quam sanctissimo iureiurando Lacedaemonios,

quaecunque suo hortatu urbs ad eos accessisset, eam ita sociam fore ut suis legibus haud setius uteretur.

## XXXVIII

Hac urbe amissa amittebantur quae in Thracia possidebant. sed instante periculo torpere potius quam excitari populus Atheniensis. nihil actum, nisi quod praesidia urbium, quae Thraciam versus tenebantur, paucis subsidiis firmaverunt. et novae acciderant clades, nisi consilia Brasidae, upote parum intellecta—id enim veri simile est—comprobare Lacedaemonii noluissent. tradunt Thucydidem, rerum scriptorem, accusatum a Cleone tamquam aut per imperitiam aut pravo consilio rem male gessisset, cum purgare se non potuisset, in exilium missum. ipse quidem illud non scribit, tulisse de se sententiam iudices: idem tamen viginti annos fatetur se exulem egisse, neque auctorem rei Cleonem tacuisset nisi ipse se condemnavisset.

## XXXIX

Detrectare proelium si malemus, Tarentum rursus nos recipiendi facultas erit. illi autem exiguis opibus, ad navalem pugnam parata classe transvecti, in litoribus his tam desertis quo se vertant non habebunt. licet eos, si manebunt, obsidere: sin ulterius cursum tendent, cum a ceteris suis copiis discesserint, fractis, credo, animis venient: non enim pro certo scient utrum se Italiae Siciliaeque urbes sint recepturae. quae cum praevidebunt, meo quidem iudicio adeo in angustiis erunt ut numquam sint Corcyra profecturi. dum deliberant, dum exploratores mittunt qui quot nos simus quibusque locis positi indagent, hiems eos deprehendet: aut, cum obsisti sibi praeter spem videbunt, rebus adversis perculsi haud scio an reducturi copias sint et a toto conatu destituri: quod eo veri similius est quod, sicut accepi, is qui inter duces eorum peritissimus est neque sua sponte imperium suscepit et si instrui nos et operam navare intellexerit, libenter pedem referendi occasionem adripiet.

## XL

Tantum abest Nicias ut haec fateatur ut, cum bis in hac epistula culpam inferat, non se culpet sed milites quibus praeerat, sed Athenienses qui eis eum praefecerant. nam haec fere ad eos scripsit, primum a se semper victoriam stetisse, donec exercitum e Peloponneso Gylippus adduxisset: illud nullus adiecit, si vel mediocris adhibita fuisset cura, venienti portum occludi potuisse. scripsit naves non specie tantum, sed utilitate multo iam deteriores factas, oblitus per se stetisse, cum Lamachi consiliis adversatus esset, quod non iampridem quod eis mandatum esset opus facessissent et ad finem adeo perduxissent. adfirmabat autem aut subducendum esse eum, qui adesset, exercitum aut pares copias auxilio mittendas, seque ipsum ab imperio velle decedere, cui propter morbum vix tolerabilem impar esset.

## XLI

Minus hoc die rapinae, plus caedis promiscuae patratum. nullo discrimine viri, feminae, pueri trucidari, nempe id agentibus barbaris ut, ubi Syracusae fuissent, nihil nisi parietinae reliquum esset et acervi cadaverum. quod ut celerius fieret neve adventu Dionis, qui prorsus exspectabatur, infectum deprehenderetur, urbem compluribus locis incendunt, subiectis facibus immissisque quae ignem ferebant sagittis. nescire incolae quo se miseros reciperent, cum intra parietes ignis, extra ferrum ingrueret. sterni viae cadaveribus, grassari identidem flammae, ut maiorem mox urbis partem peragraturae viderentur. quo cum res recidisset, neque Heraclides, qui et ipse vulneratus erat, neque ceteri duces obsistere diutius poterant quominus in urbem Dio reciperetur: ad quem adeo fratrem patruumque Heraclidae miserunt, instanter oraturos ut quam celerrime iter faceret: fore enim ut vel brevissima interposita mora Syracusae delerentur.

## XLII

Cum inter Boeotos et Athenienses de finibus disceptaretur, quam controversiam non foedere, sed bello dirimendam putabant Athenienses, suasit eis ut verbis potius contenderent, quibus essent superiores, quam, quibus inferiores essent, armis. idem alio quodam tempore, cum displiceret quod censuerat neque reliqua audire vellent, 'facere me' inquit 'quod contra voluntatem meam sit cogere potestis: loqui quod et contra sententiam meam et contra officium sit numquam cogetis.' cum quidam ex eis oratoribus, qui in rebus gerendis adversabantur, Demosthenes, hoc ei dixisset: 'interficient te, Phocio, aliquando Athenienses, cum forte, ut saepe fit, insanient': 'te autem' inquit 'si forte aliquando ad sese redierint.' cum multa in eum probra coram populo ingereret Lycurgus et inter alia crimina hoc quoque obiecisset quod decem ex oratoribus Alexandro, cum missis legatis obsides poposcisset, tradendos censuisset, 'saepe equidem, dum vixi,' inquit, 'quod e re esset suasi Atheniensibus, sed numquam tam prudentes fuerunt ut suadenti parerent.'

## XLIII

Dum sic quid agendum sit dubitat, accidit ut fons, prope Xanthum urbem in Lycia situs, sponte sua super ripas effusus laminam aëneam eiceret, in qua litteris vetustis insculptum fuit, venturum tempus cum imperium Persarum a Graecis everteretur. hoc ille casu confirmatus animi oram omnem maritimam Phoenicia et Cilicia tenus suae dicionis fecit. iter quod per Pamphyliam fecit inanibus certe laudibus extulerunt rerum scriptores, tamquam in primis mirabile fuerit: mare ipsum regi cessisse: numine quodam deorum fluctus, qui summa vi advolvi ex alto essent soliti litusque, cui praeruptae impenderent rupes, perraro nudum relinquere, ingredienti regi locum concessisse. rem vix creditu dignam sic in fabula quadam tangit Menander comoediarum scriptor:

nimium nobis Fortuna favet.
quem quaerebam, venit ecce repens,
magicis veluti ductus sacris.
caerula ponti transire libet?
cederet aequor, possem tutus
litore litus mutare gradu.
posset dextris nec Alexander
plus ferre deis.

## XLIV

Iamque audiri ex adyto vox ne adportaretur imperantis: si ibidem maneret, sibi consulturum. neque multo post moritur.

Is rerum Alexandro mortalium finis, ipsi quidem optandus: ceteris in dubio relictum, cui tantam imperii molem tradere voluisset. nihil de ea re in regiis commentariis scriptum inveniebatur, nihil a Ptolemaeo aut Aristobulo litteris mandatum: neque ipsum locutum veri simile est, donec loqui potuerit, neque alium loqui ausum. erant qui narrarent, supremis temporibus interrogatum, quis regnum exciperet, respondisse 'qui dignissimus esset': adiecisse autem, fore ut post mortem suam grande certamen iniretur. haec eum sensisse haud negaverim, nego elocutum. unum egisse, quod successorem destinantis haberi posset, rerum eventus comprobavit. dicitur enim, cum maxime animam redditurus esset, detractum de digito anulum Perdiccae dedisse.

Sic excessit e vita hominum homo rerum gestarum gloria paucis par, paucioribus ingenio. maxima eum cupiisse dicas, summo studio, artibus egregiis exsecutum, multas brevi spatio res insignes peregisse: illud magis laudandum est quod eo cursum flexit ut alia simul et honestiora expeteret, quod ad id prope accessit, quod summae humanitatis est, ut scientiae cupidine, amore virtutis flagraret, quod is denique fuit qui plus ceteris generi humano beneficiorum imputaverit.

## XLV

Facto deinde silentio in tumulum ascendit et manus—vinctae autem erant—tendens: 'o vilissimi' inquit 'omnium Macedonum, num quod tale optare poterat tropaeum Antigonus quale vos vinctum imperatorem vestrum tradendo statuitis? adeone non satis turpe fuit impedimentorum tantum causa victos vos fateri, tamquam in sarcinis, non in mucronibus esset victoria, ut ducis etiam capite eas redimeretis? quod ad me attinet, etsi sic ducor, victus non sum; hostes vici, mei me commilitones perdiderunt. sed per vos Iovem oro, exercituum praesidem, perque eos qui iuri iurando praesunt, metuenda numina, ut vestris me manibus occidatis. nam, si me alius occiderit, vestrum tamen erit facinus; neque id sibi praereptum aegre feret Antigonus; non enim vivo Eumene ei, sed mortuo opus est. quod si ipsi huius operis artifices esse noletis, alteram mihi manum vinculis solvitote: ea mihi rem peraget. aut, si ferrum mihi non permittitis, vinctum me, sicut sum, feris obicitote. ego vero, si extremum hoc a vobis impetravero, omnis erga me sceleris absolvam optimosque erga ducem et probissimos fuisse adfirmabo.'

## XLVI

Hic Cyrenas transeundi consilium Cleomenes ceperat, cum ex amicis quidam Therycio, magni semper et intrepidi vir animi quique numquam linguae temperaret quin grandius superbiusque loqueretur, clam ad eum venit et hunc in modum adlocutus est: 'quam in proelio' inquit 'mortem clarissimam oppetere licuit, eam, rex, amisimus, idque ab omnibus hominibus tum auditi cum gloriaremur, numquam ab Antigono regem Lacedaemoniorum, nisi cum interfectus esset, victum iri. sed alium nobis exitum virtus et gloria patefaciunt. quo igitur tam nullo consilio navigamus?

mortem propinquam fugimus, longinquam exquirimus. quod si Hercule prognatos Philippi Alexandrique successoribus servire non inhonestum est, quin longam navigationem compendi facimus Antigonoque nos in manus tradimus, quem tantum Ptolemaeo praestare verisimile est quantum Macedones Aegyptiis? si ei parere nolumus cui acie cesserimus, cur qui numquam nos vicerit dominum adsciscimus? an ut duobus, non uno tantum inferiores videamur, cum et Antigonum fugerimus et Ptolemaeum ut adulemur navem solvamus?'

## XLVII

Notum omnibus ut res gesta sit. comparatas ab hoste copias quantas post eversum imperium Romanorum nemo in Europae finibus adspexisset: parato rege ad patriam defendendam, Fortunam arma inferenti favisse, classem Anglorum, quae fretum custodiret, in portum coactam: ultimo ingruente periculo septentriones versus abductum regem ut alterum hostem, praedonem illum insignem, Hardradam depelleret. piget perscribere, ut summa celeritate regressus expositos iam in ora australi hostes invenerit cumque fratres eum viri fortissimi decedere iuberent sibique pugnam permittere, quoniam dis ipse invisus esset, Hectorem illum Homericum imitatus sit, omnium optimum esse omen dicentem pro patria pugnare; ut in obducto silvis colle, qui principem urbem petentibus immineret, copias constituerit, media ex acie cohortem regiam, agrestia a lateribus tironum subsidia; ut collem hostis expugnarit, praelato signo quod a summo Pontifice accepisset: producto usque ad vesperum proelio cessisse disciplinae rudem virtutem, cessisse equitibus loricatis sagittariisque Anglorum securim, donec in clivo matribus omnique populo detestabili, perfosso sagitta oculo, rex ille Anglorum ultimus cum fratribus ac fortissimo quoque suorum caesus iacuerit.

## XLVIII

Huic natura prudentiam et erga omnes benevolentiam tribuerat, multarum rerum scientiam, multam experientiam vita adtulerat: nota omnibus virtus, spectata sapientia; integro iudicio, lucri contemptor, et qui in omnibus consiliis regi potius quam sibi consultum vellet et officium praestare regnoque prodesse pluris faceret quam suo animo, suae voluntati morem gerere. nullam rem, quae gravior esset, nisi hoc consultore rex egit, huic loquendi libertatem concesserat fovebatque, cum non modo bonum virum et prudentem, sed etiam rerum suarum studiosum suique amantem esse sciret; felix ille quidem, cui ad conferenda consilia talis vir vel contigisset vel delectus esset, in hoc adeo felicior quod ea audire ac perpendere volebat quae a suis sententiis sua voluntate quam plurimum discreparent. neque enim quicquam regi periculosius est quam cum eis solis consultare quos consentire secum aut, cum quid velit rescierint, consensuros esse arbitretur, neque in consultore quicquam perniciosius quam ea tantum suadere quae ei cui suadeat rogantive respondeat gratissima esse credat.

## XLIX

Cum gravis esset res magnumque discrimen, ille apud regem ita disseruit: in hoc eius salutem esse positam, ut civibus universis satis fieret; eorum multo maiorem, et viribus et numero, partem esse Anglos; nullum quiescere posse populum nisi eis legibus in quibus nati educatique essent; nihil novari sine odio, hoc autem praecipue odio esse vel inde apparere, quod idem omnes velut una voce orarent; quod adeo se submitterent, quod tam aequo agerent animo, magis esse metuendum quam si subito irae impetu aliquid actum esset, eoque magis, si negaretur, dolituros; leges et instituta regni in consessu sapientissimorum pertractata, a multis deinceps regibus confirmata esse; his legibus

adsuetos Saxones fidem et obsequium praestitisse, his usos reges eorum numquam seditione, numquam armis suorum vexatos; neque rationi tantum et experientiae obtemperari, si servanda esse statueret; accedere religionem, cum bis se iure iurando dis testibus obstrinxisset; quae si tunc mutarentur, et iura hominum et deos contemni visum iri.

## L

Iam in eo discrimine versabatur dux Anglorum quod insolitum ac mirum esset et quemlibet et ingenio summo praeditum et constantia conturbare posset. obstupefactos suos intellegebat, cum numen aliquod divinum illi virgini praesto esse paene pro certo haberent. hos ille metus cum festinatione, rebus agendis, committendis proeliis depellere potuisset, exspectare constituit donec ipsi se ex pavore milites reciperent: quo facto nihil aliud quam spatium praebuit quo altius ea in occupatos iam religionibus animos penetrarent. quippe rationes rei bellicae, quas plerumque observare prudentis est, inter res tantum a ratione abhorrentes frustra eum habuerunt. nam Angli cum fractam suam virtutem atque oppressam sentirent, illud inde colligebant, impendere sibi ultionem deorum: neque idem non augurabantur Galli, cum praeter spem omnem remissos hostes et nihil agentes viderent. itaque in hominum opinionibus, quae maxime rerum momento esse solent, iam contraria erant omnia: ea enim fiducia, quae rebus diu bene gestis parta erat, repente se a victoribus ad victos contulerat.

## LI

Offusa per planitiem densa caligine cum neutri, ne sole quidem exorto, aut ubi instructae essent hostium copiae dispicere aut robur eorum cum suo comparare possent, rex tamen, deos immortales precatus ut adessent sibi iusta in causa dimicanti, proferri signa, classicum canere, initium

pugnae facere funditores iussit, mox pedes ipse mediam in aciem progressus seque et copias omnes in hostem immisit. sinistrum cornu a circumfuso hoste turbatum brevique pulsum, et palati per agros cladem suorum nuntiabant. verum, ubi ipse adforet Pyrrhus, numquam non prospera Epirotarum arma: qui, ut consilio certandi, priusquam ad arma ventum esset, imperitior erat, ita neque militem sibi parem miles eis temporibus habebat neque dux ducem: acer adeo fortisque, ut secuti eum sui vinci se numquam paterentur. itaque tum mediam in aciem validissimamque hostium inlatus obvium quemque obterere, modo dextrorsum, modo sinistrorsum se vertere, deinceps cedentibus integro animo instare, donec victoria haud dubia suorum fuit. trium horarum spatio consertum proelium depugnatumque et in fugam hostes versi.

## LII

Ex rerum scriptoribus qui patrocinium eius susceperunt (nam recentiorum sunt qui vel huic faveant) sic fere disputant, satis eum imperio aptum fuisse, si salvis legibus imperasset. nulla in se scelera admisisse nisi quae ad occupandum principatum necessaria essent. neque tamen multum proficiunt, cum simul fateantur ne ab atrocissimo quidem scelere, quod sibi hoc petenti necessarium putaret, abhorruisse: constat autem, quidquid ei fuerit fortitudinis et in rebus gerendis prudentiae, neque multum fuisse negari potest, numquam has artes tantum populo prodesse potuisse quantum exemplo obesset regis homicidae pravitas quae neque obscura esse posset neque ceteros non velut contagione inficere. statura brevi fuit, vultu asper et inamabilis: ut mentis pravitati par responderit totius corporis deformitas.

## LIII

Postridie mane cum coram rege adesset effususque in iram rex ilico eum interficere vellet ut qui mandata, quae maximi

essent, neglexisset, traditis principis litteris iram eius delenivit. celeritatem itineris miratus rex interrogavit an nuntio occurrisset quem sequi iussisset et rem quandam deferre cuius cum mandata daret oblitus fuisset. occurrisse se ei Volteius respondit: dein 'ante' inquit 'quae adtulit peregeram: haec enim ex ceteris pendere artissimeque esse coniuncta cum intellegerem, vel iniussu tuo ea mihi facienda existimavi: precor igitur ut audaciae meae rex meus ignoscat.' haec locuto, cum summo praeditum ingenio videret, non modo ignovit rex sed Martis flamonium detulit, mox autem rei suae dispensationem commisit.

## LIV

Nullum Duillio metum haec species incussit, auxit potius animum. nec forti Fortuna defuit: nam ferente in sinum vento puncto temporis medios in hostes delatus est. quattuor horas postquam restiterunt, cessere Romanorum virtuti Carthaginienses navesque reliquere: quas subdito igne Romani et ipsas et quicquid inerat gazae concremaverunt. maximum tamen eis imminebat periculum: nam et ab arce tormentis et ex omni castello petebantur, brevi tempore classem totam direpturis, cum mutatus repente ventus rursus eos e sinu evexit, multum admirantibus Poenis quod tam temere incepta tam prospere cessissent.

Ultimum hoc et clarissimum proelium commisit summo vir animo Duillius. nam morbo gravi cum laboraret, propere Romam profectus, ut in ea quam tantopere dilexerat auxeratque virtutibus patria supremam animam ageret, cum vix in conspectu terra fuit, e vita excessit.

## LV

Frustra ille quidem concitatis ad arma Ubiis bellum gerere conatus est. erat sane ingenio ad res gerendas idoneus: sed plus valebat excultiorum hostium sollertia, et finitimarum

gentium iam constantia nutabat, tam peritos rei militaris metuentium. rebus inclinatis, exui se in dies potentia, dilabi celeriter suos sentiebat, cum alios Romani mercede allicerent, alios fames et lassitudo et crebri ab hostibus facti impetus absumerent. iam capto omni quod paraverat frumento, abreptis ante oculos praecipuis amicorum, patruo ictu iaculi ad latus occiso ductaque in servitium sorore, cum uxorem dilectam unicumque filium vix ipse e periculo (id quod saepe fiebat) elapsus in manu hostium reliquisset, tot rebus adversis velut cumulus accessit quod caput ducis prodere coeptabant sui, iactura ea salutem sibi inhonestam adepturi.

## LVI

Clarior inde vita Aufidii, clariusque rem gerebat, usque ad hunc diem vituperatus inrisusque. qui in hoc maxime erravit quod nomen imperatoris sine imperio non constanter recusavit. quod si in illo secessu Frisiensi delituisset, paucis post annis cum honore in patriam revocatus apud obtemperantem legibus principem inter decora et adminicula principatus fuisset. si ex sua sententia grassatus esset neque ullos secum adduxisset nisi qui quicquid iuberet dicto audire essent parati, magnum aliquid fortasse effecisset. non enim virtus duci, non strenuus animus aut sollertia defuit, sed tantum auctoritas.

Scire ille quidem debuit, nulla alia re tam aegre carere ducem. nam victoriam saepe exercitus reportaverunt eis ducibus qui mediocri essent ingenio. quinam autem exercitus cui non unius prudentia sed multorum praeesset loquacitas, cladem umquam et dedecus evitavit?

## LVII

Satis quidem constat, post oppressam seditionem, qua ratione in deligendis eis, in quos animadvertatur, grassari debeat is, qui rei publicae praesit: a ducibus et auctoribus

sumendum esse supplicium, qui dignitate atque opibus praestantes, rudem eruditi multitudinem sua potentia, suis artificiis in errorem traxerint: erga plebem, quae his fallaciis capta sit, postquam caedes in acie finem habuerit, quantaecumque esse clementiae locum. tunc vero non modo huic rationi non obtemperatum est, cui et iustitia tam aperte suffragaretur et humanitas, sed in contraria itum. caesi catervatim, quibus parci oportuit; paucis illis parcitum est, de quibus omnia, quae leges iuberent, supplicia sumi decebat. hanc cum saevitia lenitatem alii ex scriptoribus miram sibi videri fatentur, alii ridendis sane laudibus extollunt: quae neque recondito ex fonte fluxit neque laudem ullam merebat: nam pecuniam inhiasse turpitudinis fuit, cruorem inhumanitatis: alterutrum autem identidem causae stetisse satis certis indiciis manifestum est.

## LVIII

Hunc in modum cum frustra rex ira exarsisset, illi contra, qui delendam omnem praeteritorum memoriam censuerant, venerabundi quidem, sed tamen constanter admonebant, non aliter salvum esse regem posse, qui a validis hostibus oppugnaretur, nisi aut devinceret eos aut amicos ex hostibus redderet. 'si post omnia haec' inquiunt 'quae accidere vidimus, ulla tibi adhuc, rex, in armis spes est salutis, tacemus nos quidem: sin minus, sic demum te salvum fore scito si rursus tibi amorem populi conciliaveris.' diu vehementerque agitatis sententiis rex missos fecit. 'multa vos' inquit 'proceres, libertate estis usi: quod tamen ego boni consulo. unum saltem illud mihi certum est, senatum convocare. cetera quae protulistis tanti sunt momenti ut haud mirum vobis esse debeat noctem me ad deliberandum sumere antequam quid agendum sit constituam.'

## LIX

Ille vero cum nihil magis ab amicis metui quam fugam suam, nihil ab inimicis magis optari sciret eaque occasio

esset ut, etiam si manenti grave impenderet periculum, nihil sibi fuga ac timore turpius ducere deberet—id enim agebatur utrum ipse posterique solio avito sederent reges an omnium egeni vagarentur—adeo cetera ex animo dimiserat ut uno mortis metu impelleretur. instantibus eis, quos amici Capuam miserant, et quae refelli non possent ingerentibus unum illud respondebat: de capite se periclitari. frustra adfirmabant nihil esse cur id metueretur: valere apud generum aut pietatem aut saltem prudentiam, ne regem simul, simul uxoris patrem occidendo scelus in se ac dedecus admitteret. omnia metus praepediebat. discedere constituit, rem sane haud difficilem.

## LX

Num damna vestra praestabit Antonius? num huic pro horreo direpto, illi pro compilata taberna pecuniam solvet? hoc si ita fore opinamini, mirum quantum mehercule mentibus vestris tenebrae sunt offusae. alia habebit in quae pecuniam eroget: aut, si nummorum quidquam supererit, praesto erunt Galli esurientes qui id ante devorent quam ad vos pervenire possit.

De periculis quidem, quae in bello civili obituri estis, etsi pergravia sunt et atrociora adeo quam mens vestra potest augurari, ideo nihil dicam quia dicto opus esse non existumo. ostendi planissime, si ad arma capienda inlecti sitis, de lana vos caprina dimicaturos, immo vero in exitium vestrum uxorumque ac liberorum vestrorum: quod si parum ut quiescatis effecerit, reliquum est precari ut sanam rursus mentem di vobis immortales duint.

## LXI

Iam vero loquendi tempus venisse ratus Sulla arcessitos ad se Catulum, Metellum, Scipionem aliosque nonnullos qui in re publica erant insignes, gravibus sane multumque ante medita-

tis verbis allocutus est, ita tamen ut solitus a puero vehementissimum quemque animi motum occultare ne tum quidem non lentus et ad omnia securus videretur. oratio autem fuit eiusmodi. tacuisse se hactenus: neque precibus neque minis usum: quid sentiret, quid vellet, ne odorari quidem quemquam sivisse. tunc autem adesse discrimen cum consilia sua promere necesse esset. praecipere senatui neque velle se neque, si vellet, sui id iuris esse. hoc unum deposcere ut si quod munus obtinere se non posse salva dignitate sua bonoque publico arbitraretur, id sibi liceret detrectare. visum igitur sibi hoc liquido confirmare, consulari tantum potestate se non usurum.

## LXII

Conversae inde multorum mentes multusque de expulso rege sermo. patrem ab hostibus occisum, qui infestum animum minime occultarent: filium, a liberis suis circumventum atque oppressum, dedisse eis poenas qui ne meritas quidem sua manu exigere debuissent. num autem merito tantas dedisset? non facilem potius ac temerarium quam scelestum se praestitisse? non inesse ei ex illis artibus nonnullas quae optimis principibus inesse solerent? sane non praestanti ingenio praeditum: at diligentem, parcum, at fortiter dimicavisse: sumpsisse sibi rerum navalium curam neque non probabilem in modum exsecutum esse: donec sacerdotum atque hariolorum artibus irretitus ad peiora inclinasset, iustum ac severum habitum: usque ad extremum tempus, nisi cum ab his in errorem traheretur, veracem fere, non vafrum aut infidum se praebuisse. fieri fortasse vel tunc posse ut his erroribus quamvis sero mederetur. vix credi posse, tam hebetem esse, tam pertinacem, ut non tot miserias nuper perpessus melior ac prudentior esset factus. quod si evenisset—neque inanem eam spem videri—plus fortasse felicitatis ac tranquillitatis sub rege iusto habituram Angliam quam vel ab optimo et ingeniosissimo habere posset qui principatum vi occupavisset.

## LXIII

Post proelium acrius in ducem exarsere. ferebatur enim, haud scio an iniuria, inhumanius locutus, quo tempore vix sustinendum numero hostem aegre Romanorum legiones sustinebant, videre se cupere num et ungues aquilae haberent. ecquem post haec dicturum, ob scientiam bellandi ac peritiam tot ducibus Romanis eum praelatum? solere quidem dici, magnitudinem belli eos numquam vidisse. at mehercule quae Stilicho fecisset vel tironem facere posse. quid enim? nescisse quid iuberetur, quid non, equiti id mandasse quod nisi a pedite fieri non posset, spectavisse e tuto ac longinquo dum fortes caederentur. neque ferenda se perpessos: simul contumeliis adfici, simul exitio destinari: carere belli praemiis, extremis periculis obici: inrideri tamquam tirones, mox cum milite veterano, cui vix ullus in orbe par esset, sine subsidiis committi. hae per exercitum querimoniae: neque populus dissentiebat.

## LXIV

Contemptune an odio an potentiae cupidine commotus sit Bolanus, incertum: illud constat, duos earundem partium duces ita dissedisse ut sarciri gratia non posset. nempe adeo inter se oderant, ut neque utilitatem communem hoc odio potiorem habuerint neque in rebus agendis robur ac constantiam neque salutem suorum. admissus ad secreta consilia Lucilius frustra obtestabatur, indecore, sine ulla ratione sic dissideri: dum velut intra moenia dissentiatur, dirui murum ab hostibus extrinsecus, teneri iam non posse. tanto Bolanus odio flagrabat ut vel prospere res gerere socio Octavio recusaturus fuerit, sic eum exsecrabatur ut nulla in re consociari se pateretur: quin etiam interiecto temporis spatio, cum amborum capita ab inimicis peterentur, communi prospicere saluti cum eo nolebat morique malebat quam videri vel paullisper illi esse amicus.

## LXV

Cum interclusam eam Scipio, quae brevissima fuit, viam sciret, alia legiones ire iusserat, quae et longior erat et aspicienti difficilior. mirum id nonnullis tribunis visum: sententiis inter se conlatis indignum consulem statuunt qui exercitui praeesset: qua tutissimum receptui videbatur, ea copias ducunt. opperiri interea usque ad primam lucem vix aequo animo Scipio, dum prima legio in conspectum veniret: deinde id fere accidisse, quod acciderat, ratus, citato equo cum ad alteram viam venisset, interceptos aquis duces et ducendi spe deiectos deprehendit, cum id ipsum, ut auctum imbribus flumen vitaretur, de industria cavisset. consulem in ordinem cogi, periclitari exercitum manifestum erat: sed cum res ipsa sontes idque in ipso delicto redargueret ipsique se contemnerent, ipsi suo se suffragio condemnarent, paucis ille verbis inridens, quae aspernantis potius quam irascentis erant, neque plura locutus, copias reduxit et in tutum omnes expedivit.

## LXVI

Cum ex tanta multitudine, quae iam aedes regias opplebat, pauci tantum scirent quam ad rem convocati essent, ceteri, pro epularum apparatu armatorum in atrio frequentiam refertaque bellico instrumento conclavia mirati, alius alium modo paventes intuerentur, modo quid rerum esset quam celerrime cognoscere cupientes, pendentibus animi ac trepidantibus aderat repente Verginius alacerque voltu, tamquam secunda praevideret, clarissimum quemque appellabat: non id temporis ad conviviorum eos voluptates vocari, sed ad facti praeclari conscientiam, quo libertatem famamque sempiternam essent adepturi: nimiam iam neque ferendam exerceri ab altero Doriarum, qui natu maior esset, potentiam, maiorem mox diuturnioremque futuram, cum magna alter cuperet, magna ei genti concedere princeps vellet quae sui semper quam patriae studiosior fuisset.

## LXVII

'Hanc' inquit 'tam iniquam dominationem vestrum nunc est evertere, vestrum est patriae libertatem stabili in fundamento collocare. intercidenda est stirps dominantium. quod ut fieri posset, providi equidem quae providenda maxime erant; consciorum numero, sociorum, si opus sit, auxilio, potentiorum patrocinio fretus sum. huc accedit ut cum omnia ipse providerim nihil illi providerint. suspicari enim ac timere, quae sontibus praesidio esse solent, ut et celeriter poenam meritam prospiciant et astute depellant, haec nostri suos contemnendo obterendoque dedidicerunt et ante sentient ictum quam intentari manum hostilem intellexerint. eamus ergo ut semel adhibita fortitudine, vix ullo periculo proposito, spe certa victoriae, patriam in libertatem vindicemus.'

## LXVIII

Solet sane magna cupiens animus omnia flectere: neque ille non his verbis audientes ut voluerat flectebat. orationem clientes ipsius, perficere quodcumque imperaret parati, murmure ac plausu comprobavere: multis, quorum in praecipiti res erat, turbari omnia, omnia licere, quod in seditione fit, haud displicebat: si quibus maior erat dignitas animusque honestior, ubi rem tam atrocem tam inopinatam proponi intellexerunt, indignari tamen palam admirarique non ausi sunt, cum proximum quemque coniurationis conscium putarent eosque sibi viderent circumfusos qui, ut primum dux signum dedisset, nihil non flagitii essent ausuri. itaque una voce omnes aut probavere inceptum aut probare se simulaverunt.

## LXIX

Neque alieno ore neque sine studio loqui exorsus admonuit adstantes ut nisi omnia praedae esse Germanis Gallisque

vellent, consulerent bonis suis adservandis, consulerent uxorum et liberorum saluti. non eo tempore spem abicientibus opus esse, sed adnitentium, sed sua ipsorum parvi facientium constantia. legi apud annalium scriptores, quot populi, quot reges, cum modo non obruti fuissent, in commune consulendo rursus se erexissent. inde Livium adhibet testem Romanorum contra Hannibalem virtutis enarratque pluribus verbis insignem voluntatem Patrum, cum Laevini consulis impulsu gemmarum quidquid esset ceterasque divitias vacuo rei publicae aerario intulissent. principes quoque nonnullos commemoravit, Octavianum praecipue, quem, cum a Sexto Pompeio prorsus devictus esset, postea tamen rerum dominos Romanos seque ipsum fecisse.

## LXX

Graves inter hos irae, quas multa simul accendebant. saepe quod alteri proderat nocebat alteri: saepe alter alterius aemulus extitit: accedebant non iniuriae tantum utrimque, sed contumeliae quoque invicem inlatae. neque dispares ad certamen veniebant: si quid alteri ad occupandas primas partes profuturum esse videbatur, aliud alteri, dis nempe cuncta exaequantibus, proprium contingebat. imperatori latior parebat regio; artius Gallorum regis magisque ad manum regnum iacebat. huius nulli obnoxia, nullis vinculis impedita potestas: adstrictior illius, sed quod auctoritati deerat, sollertia explebatur. miles huius acrior audaciorque, instructior illius ac laborum patientior. neque magis his omnibus dissimiles erant quam indole ingenique artibus quibus uterque pollebat, propter haec quoque diuturnius dimicaturi.

## LXXI

Sed cladem hanc ac periculum neque sentire neque memoria tenere poterant, oblata mox oculis ea specie quae plus

formidinis, plus misericordiae haberet. nam clara iam luce cum neque remisisset quicquam de vi sua ventus et natum praecidendae spei hominum mare tum vel praecipue tumescere videretur, solutae omnes ab ancoris naves rapi, quibus amissis neque salvos se fore neque victum habituros totus exercitus sciebant: aliae in propinquas inlidi, aliae saxis contundi: multae in litus deferri, multae hauriri fluctibus. intra horae spatium naves longae xv, onerariae cxl, hominum octo milia perierant: nautarum autem si qui vitata maris asperitate in litus evaserant, vel hostibus miserandi statim tamen ab Arabibus obtruncantur. hanc tantam calamitatem aeger animi princeps spectabat tacitusque obstupuit; ereptam spem victoriae, mari profundo obrutas opes immensas, quas ad incessendos hostes, quas ad suos alendos paravisset.

## LXXII

Neque aliud laborantibus auxilium praebere poterat aliudve levamentum quam ut missis aliquot militibus ad pellendos Arabes paucos suorum, qui in terram enataverant, ut ne una cum ceteris immiti sorte occumberent eriperet. tandem languescens ventus spem adferebat, fieri posse ut tot effugerent naves quot et ad servandum exercitum, ne fame interiret, suffecturae essent servatumque in Europam revecturae. sed sperari potius haec quam credi: obducto sub noctem tenebris mari, cum nuntium mittere non possent qui servatis ex tempestate navibus praeerant, per totam noctem qui in litore erant inter spem metumque dubii angebantur. postridie naviculam Domitius misit quae vix ad terram has litteras pertulit: numquam se, quamquam quinquagesimum iam annum navigaret, tam effrenatam, tam atrocem tempestatem vidisse: superstitem esse, concussas tamen naves: versus promontorium Metafusinum cedendum putavisse: eo quam celerrime princeps iter faceret, quoniam torva adhuc ac procellosa caeli facies esset: inde facilius copias in classem impositurum.

## LXXIII

Iam vergebat dies et nescienti praefecto quid actum esset, nihil insidias, quibus irretitus erat, metuenti, sed ut abiret se paranti, nuntiantur repente tam atrocia auditu principis iussa. atque ille primum obstupescere, tacere parumper, mox in iram ac probra erumpere ut qui iniuriam simul et fraudem detestaretur. fremere, indignari, conqueri : modo in Caesarem invehi ut indigna magno ac magnanimo principe machinantem, modo amicos suos ut nimium credulos culpare, qui subdolis eius promissis confisi essent : modo sordes eis obicere, qui eo descendissent ut tam perfida, tam turpia molienti operam commodarent : postremo postulare ut quae liberis suis se facturos pepigissent recordarentur recordatique statim perficerent.

Illi vero, postquam his irarum fluctibus paullisper cesserunt, testati deos nihil se egisse, nihil voluisse nisi quod honestum esset, spem tandem subiciunt, fore ut, ubi primum principem convenissent, remedium eius impetrarent iniuriae per quam et ille libertate careret et suae fidei nota inusta esset.

## LXXIV

Haec summo studio ingerentes lentissimus audiebat princeps. qui cum auxilio eorum non iam egeret, intellexerunt illi, quod sane molestum erat, neque priora obsequia memoria teneri nec magni haberi quod tunc intercessissent. ita autem locutus est : nescire se quid suam vicem, quid privatim cum praefecto pepigissent, neque si quid suscepissent id se praestare debere. quid ipse promisisset satis scire, non vincula illum omnino evasurum, sed non per vitam vinctum iri. quae cum asperius ac minime cunctabundus dixisset colloquiumque abrupisset, cum non fore intellegerent ut id temporis principem flecterent, ut qui neque temere haec statuisse neque facile a consilio discessurus esse videretur, facere non poterant quin vincula tam moleste

ferenti renuntiarent, frustra se causam eius egisse. quibus ille auditis cum rursus violentiusque ira exardesceret, ne quid insolentius, ut amissa spe, temptaret, non a principe se prius discessuros pollicentur quam instando et flagitando eo perduxissent ut demi vincula pateretur.

## LXXV

Igitur paucis post diebus rursus principem adeunt. ille autem asperior quam antea difficiliorque visus eos admonuit, si rem sibi tam molestam, de qua nihil amplius audire statuisset, rursus attingerent, imperaturum se ut qui in vinculis esset in Hispaniam aveheretur. itaque veriti ne vel obessent praefecto nimiis studiis et intempestivis, non modo ab incepto destiterunt sed a sede regia discesserunt: cumque primas iras cur digressi essent audientis coram ipsi sustinere nollent, per epistulam certiorem faciunt hortanturque ut quae principi promisisset omnia perficeret: sic enim sine dubio brevi liberum fore. ille autem, quamvis irarum fluctibus iactatus, cum sic ab eis relinqueretur, cupidine tamen recuperandae libertatis haec suadentibus obsecutus pecuniam imperatam solvit, dirui castella sua iussit, societatesque, si quae displicere poterant principi, abrupit. quo tam celeri obsequio nihil tamen impetravit.

## LXXVI

Dubia adhuc expugnandi spes. nam, quod et priore eius itinere acciderat, ingravescente autumno cum frumenti simul inopia esset, exercitum sub signis tenere perdifficile erat, perarduum tam validam urbem obsidere, si ad deditionem vocanti restitisset. sed tamen inter trepidos turbatosque nihil ad defendendam urbem paratum fore confidebat; ac tota sane urbs vario tumultu aestuabat. duces alius alii probra obicere, alius aliud sentire. nec iussa perficere plebs nec suadentibus auscultare, ut quorum audaciam novisset alias

insignem esse, in ipso discrimine languescere. simul omnium animis obversabantur quae frustra obsistendo Saguntini essent passi: hinc iacere virtus, in patriam pietas nusquam esse. multi oppido exire et, ut tuta latibula, silvas petere.

## LXXVII

Illi pecuniae cupidine flagrare, a pugnando abhorrere: seditionemque adeo coeptant, cum maxime proelium committendum esset: statim se a signis discessuros, nisi aurum sibi, quod nuper in castra invectum esset, extemplo divideretur.

Inter haec inluxit fastis sane notandus dies, qui A.D. XII. Kal. Sextiles fuit. frustra eos obtestando ad fidem revocare conatus Licinius consul, cum dextra fortior esset quam aut facundior lingua aut animo patientior, mox ab incepto destitit pecuniamque quam flagitarent prorsus se daturum negavit, arcam inanem, causam scilicet omnium gravissimam, excusans: deinde edocuit id eis ibidem statuendum esse utrum vincere an occidione interire mallent: neque enim fugae neque deditionis esse copiam. an fore crederent ut aut ab Hispanorum sibi mucronibus aut a fluminis Hiberi gurgitibus parceretur?

Neque hac oratione non aliquantum eos flexit, cum saluti suae consulere, rem hominibus insitam, iuberet.

## LXXVIII

Neque eadem obsessis ratio. nam ad depellendos Hispanorum incursus conductorum militum opera oppidani erant usi, quorum nonnulli signa reliquerunt, ceteros subita formido perculit: tunc vero se ipsis freti resistebant. huc accedebat ut, quo vix quicquam maius peccari potest, id a Gallis peccaretur: hostium enim vires contempserunt. nam recordati quam facile urbem Hispani diripuissent, sibi quoque nihil intrantibus, nihil urbe potientibus obstiturum credebant et, cum avaritiam suam eo usque inhibuissent Hispani donec

nusquam iam resisteretur, hi per angiportus statim fusi atque horrea ingressi praedam quaerebant, eo scilicet metu commoti ne urbem non ante vacaret compilare quam aliae a Fabricio consule copiae missae praedae partem peterent. constat utique, quibuscunque e causis ortam, non defendentium tunc sed invadentium animos formidinem ab ipso paene initio occupavisse, qua plerumque in eiusmodi concursibus Mars anceps inclinari solet. nempe actum erat de his praedonibus, ut primum haesere animi et regredi cupiere. nam cum pedem referre quam progredi periculosius esset, fieri vix poterat quin ad unum aut caperentur aut mortem oppeterent.

## LXXIX

Horum discessu maior turbandi licentia: nec deerant seditionis auctoribus quae nec iniqua essent dictu nec accurata carerent ratione. quosnam umquam, mercede conductos, pariter meritos esse mercedem? non per novem annorum spatium ad foedissima quaeque se promptos fuisse? unde gentium parari potuisse tam ad iussa impigras manus, tam dociles ad parendum animos? numquid mandata perficientibus obstitisse? terram, ignem, mare pervium virtuti. in ima telluris defossos, impendente maris aestu modo non obrutos se pugnasse. expertos esse urbium incendia, glaciem camporum. quam caedis atrocitatem detrectavisse? non inermes oppidatim, modo dux iuberet, trucidavisse? non promiscua strage deorum templa polluisse? quam aram, quem focum non temerasse? at quo pretio tot obsequia, tot labores caedesque aestimari? ne tantam quidem dari mercedem, quanta cuilibet fossori daretur, qui nihil nisi terram inertem tutus proscinderet.

## LXXX

Haec ex longinquo spectantem Memmium cohortis suae complures, viri integra fide, quibus consilium suum patefacere

ausus non erat, acerrime ob perfidiam incusabant: et Licinius quidem Macer deos omnes obtestatus est, utcunque res cessisset, neque auctore se neque adiutore cessuram: sibi enim gentis clarissimae decorem praestandum esse neque umquam, quod in se esset, eiusmodi flagitiis commaculandum.

Ille interea simul haec virorum fortium opprobria excipere, simul aestuare animi, inter spem ac metum iactari: modo exsultare gaudio, modo trepidare, modo paenitentia angi. ubi de moenibus desilientes vidit, cum quales essent satis dispicere non posset, suam esse urbem ut iam victor clamitabat, venisse eo suorum robur, quattuor milia numero, deici iam de pinnis murorum oppidanos. ut errasse se certior factus est, postea haud minus rebus suis diffidebat: ubi vero iam satis intellexit maximum sibi cum damno dedecus accidisse, patefactam esse perfidiam suam, in equum adeo se coniecit et insectante facinoris memoria locum sibi tam infaustum reliquit.

## LXXXI

Hic surrexit e solio princeps et innixus umero Batavici —neque enim sine adminiculo stare poterat—coetum audientium allocutus, ex libello, quem memoriae subsidium manu tenebat, quot quantasque res usque ab initio imperii suscepisset perfecissetque percensuit, gravitate summa, nulla gloriantis specie. inde ab aetatis anno septimo decimo in publica negotia omnem curam, totum animum se intendisse. nihil otio suo temporis, paulum admodum voluptatibus suis datum. quoad officio fungi vires sivissent, quoad eo robore corporis fuisset ut longinquis populis consulere, rem arduam, posset, numquam se aut labores detrectavisse aut ferendis cum lassus esset questum esse. iam fractis viribus, insanabili morbo confectum ut rerum curam deponeret admoneri: nec tam cupidum se regnandi esse, ut invalida manu gubernacula tractare vellet, cum nec praesidio suis futurus esset nec felices redditurus.

## LXXXII

Deinde ad Philippum conversus, inflexum genibus dextramque patris osculantem, 'si mortuus' inquit 'hanc tantam tibi hereditatem reliquissem tantis a me copiis novis auctam, aequum erat ea causa coli memoriam meam: nunc vero cum quae tenere potui volens tibi traditurus sum, gratias a te effusissimas haud iniuria exspectem: quas tamen missas facio, et tum demum beneficii mei te memorem putabo, tum optime gratissimeque hoc testificatum, si consulueris civibus, si cives tuos dilexeris. nunc penes te est rebus probe ac prudenter gerendis hoc omnibus patefacere, non paterno me hodie amore lapsum quae vix quisquam antea fecerit fecisse, sed dignissimo imperium tradidisse. leges tibi patriae sanctae semper sint, in iura plebis, in concessa plebi numquam invaseris. quod si tempus veniet cum tranquillitate ac secessu frui voles, sit tibi eis artibus praeditus filius, ut quo ego animo tibi imperium meum trado, eo illi de tuo possis decedere.'

## LXXXIII

Pro morbis defesso ac paene intermortuo, acciperent florentem aetate principem, adsuetum iam imperiis, robore adulescentem, diligentia ac prudentia senem. quod si tot annos rebus gerendis intentus male re gesta umquam civitati nocuisset, si civem tot tantisque negotiis impeditus occupatusque neglexisset aut laesisset, ut ignosceretur sibi se precari. se quidem suorum fidei et amoris semper memorem fore, hoc in secessum decedenti et solacio futurum iucundissimo et optimo pro tot officiis praemio: deos autem supremis precibus se veneraturum ut rei Romanae essent propitii.

## LXXXIV

Non trepidantem animi, non perturbatum hoc discrimen deprehendit. convocatos suos ita adlocutus est ut suadere potius quam imperare videretur. naves accuratius inspicienti idoneas ad navigandum non videri. proinde alio mentes

verterent. indignum animis virilibus expendere casus futuros, effugia circumspicere. accinxisse se operi: si progredientes respicerent, paratum exitium. modo rursus sibi ipsis, modo duci confiderent: sine dubio bene rem gestum iri. deinde his verbis orationem ad finem perduxit: se quidem quid sibi faciendum esset statuisse: ibidem mansurum, dum vel unus secum esse vellet. si qui tam ignavi essent ut rei tam praeclarae pericula detrectarent, orare se per deos omnes ut domum reverterentur. navem—unam autem esse reliquam—conscenderent, Cubam insulam repeterent, narraturi quomodo ducem comitesque deseruissent. ibi aequo animo exspectarent dum ipsi spoliis Indorum onusti redirent.

Militares animos haud imperitus contionandi perstrinxit. paullatim ira, dum loquitur, defervescente divitiarum gloriaeque futurae simulacra, quae evanuerant, verbis ducis accensi rursus ante oculos cernebant.

## LXXXV

Stricto gladio cum ab ortu solis ad occidentem lineam in litore exaravisset, ad meridiem conversus, 'amici' inquit 'comitesque, illuc progredientibus labor ac fames in promptu sunt, nudos vos imbres procellaeque vexabunt, ab omnibus desertos mors rapiet: huc si revertemini, otia vos ac voluptas manent. illinc opes fortitudine parandae, hinc inopia. quodcunque Sabina stirpe oriundos decet, id sibi quisque decernite. mihi quo me vertam non incertum est.' sic locuto et lineam transgresso comitem se omnium primus, qua erat constantia, gubernator navis Rutilius adiunxit, mox Petraeus Cretensis, qui ab insula Graeca et nomen et originem trahebat: transgrediuntur et alii deinceps undecim, per prospera et adversa secuturos se ducem professi. quos scriptor annalium Caelius sic laudibus prosequitur: Famae ipsius praeconio insignes fore, qui, perpauci numero, cum inaudita instarent pericula morsque in conspectu potius esset quam divitiae, nihil tamen pudore antiquius habuissent fidosque se duci praebendo exemplum fidei posteris praebuissent.

## LXXXVI

Nova haec et insolita Ostorio: sed tantum abfuit ut animi perturbaretur ut sui compos, decorus oratione atque adeo gravis, ut Romanum decebat, vel coram principe versaretur. simpliciter ac verecunde loquenti ardorem tamen facundiamque non arte quaesitam suppeditabat cum rerum a se ipso actarum memoria tum futura ea sua fortuna qualem ipse loquendo effecisset. nec audientes non tenuit, ut qui multa ac mirabilia terra marique perpessus modo silvarum recessus peragratos narraret, modo paludum prope litus pestilentium vastitates, cum nec cibus erranti, vix vestimenta quidem essent, et ex parvo comitum numero cottidie aliquem mors vel morbus eriperet, instaret tamen ipse invictus animi ut imperii fines nomenque ac gloriam principis proferret: ubi vero ad insulae solitudinem ventum est, cum nec Romae quisquam eius rationem haberet et praeter exiguam sane manum comites abscessissent, tum quamvis minime ad misericordiam propensus lacrimas non tenuit princeps. Ostorium autem, cum Roma rursus discederet, eo sermone patribus commendavit ut incepta eius nulla non laude cumularet.

## LXXXVII

Non culpandum esse regem aiebat quod vetere amicitia ac foedere constrictus eis subvenisset quorum cottidie preces nuntiosque audiret auxilium implorantium increpantiumque quod bis iam oppugnati bis devicti nihil eum commovere essent visi. satis Antiocho victoriarum partum, satis effusum cruoris: quin his contentus esset meminissetque quam lubrica esset fortuna neque evertendo penitus vastandoque civitatem gloriam quaereret sed potius adflictos erigendo ac sublevando? multa hunc in modum verba facientem tristis voltu obstinatusque Antiochus audiebat. quippe fingi ea simularique neque obscurum erat et minime virum sagacissimum fallebat. sic tandem respondet: si pacem agere Pergamenos rex vellet

cur non cottidie vim inferentes coerceret, cur non audaciam eorum frenaret? num a se violatum esse foedus? quid a se novatum esse propter quod in fines suos inrumperent, agros vastarent, cives vexarent?

## LXXXVIII

Igitur non sine dolore suo, ut qui a caede alienus securim laqueumque maxime improbasset, eo praesertim tempore ad summam rerum evectus est cum et tumultus, quibus multa ex oppidis maioribus flagraverunt, acriora flagitarent remedia et sublata disciplina dilaberetur exercitus. par tamen huic tempori visus Servilius summa constantia quod faciendum fuit fecit. 'discessisse me' inquit 'a sententia mea mecumque pugnare dicitote, si libebit. non me defendam. quo ego iure existimationem meam patriae saluti anteferrem? immo vero nomen meum exolescat, detestentur posteri, in exilium pellant aequales. mihi quidem susque deque est. satis diu vixi. illud di prohibeant ut mea imbecillitate res publica pereat, illud maxime avertant ut tum Hispania periisse dicatur cum penes me fuerit.'

## LXXXIX

Primum actum fabulae transegerat, multa restabant. nempe in lubrico stabat Caesar: credebant multi, ut primum vicisset, caedem fore promiscuam et illis similem, quibus captam a se urbem Marius et Sulla testati essent. in oblivionem non venerat, olim cum Catilina Caesarem nominari solitum. neque magis confideres, si agmen adsistentium circumspiceres; circumstabant enim notissimus quisque ea aetate ganeo ac decoctor, cum Curione Antonius, cum Caelio Dolabella, Vatinius, ceteri. invisa sane species: quos *νέκυιαν* Cicero appellabat, lucifugum quendam scilicet lamiarum gregem. qui victor esset, qui ea quae Caesar egisset, qui tam perditorum esset hominum coetu stipatus, ecquid aliud eum animo agitare nisi caedem universorum et bonorum

publicationem? multis demum post mensibus Romanis persuasum est, non tunc esse metuendum

ne flamma et ferrum perruptaque vincula legum

civitati impenderent. interea libenter plerique reducem salutavissent Pompeium, civilis animi virum, etiam si qui eum sequerentur optimates, si victores rediissent, neminem e Caesarianis superstitem essent relicturi.

## XC

*Quintus.*—Eisdem popularibus qui postea opitulatus est C. Caesar, haud minores per angustias enisus, inter maiora versatus, ingenio quoque a multis fortasse maior habebitur.

*Marcus.*—A nullis ille quidem, nisi qui cum magnum virum informant, nec ut sit abstinens prudensque postulant nec ut fidelis et amans patriae. illud unice Caesar intellegebat, quando esset confidendum fortunae: numquam confisus est Sertorius, numquam pedem transversum in eo itinere progressus est quod non diligenter antea exploravisset. quorum alterum optimus, alterum pessimus Romanorum sustulit. Caesaris mortem sibi liberisque quam maxime averruncandam censeant boni ac sapientes, quam maxime optandam Sertorii. nos vero, Quinte, quoniam vidimus eversam patriam, patriae autem hostes nos quoque opprimere conantur, grates dis immortalibus propterea agamus quod nec inutilem hanc ultimam vitae partem nec laude carentem viximus quodque obituri sumus non Catoni, non Bruto improbandi, sed Lepidis atque Antoniis. neque ego, cum de Caesare cogito, tam acerbitate adficior quam maerore. qui si ut in scriptis sic in vitae ratione tenuisset modum, si tam subvenire patriae cupiisset quam vincula inicere cupiit, quantus ille vir, di boni, quam nulli non anteponendus fuisset!

## XCI

Magni horum principum labores, maiora atque adeo immensa praemia. quippe bene gesta re publica contingebant

principi et virtutis suae haud indecora recordatio et ea quae ex omnium felicitate felicitatis eius auctori redundat voluptas, qua honestiorem nemo percipit mortalium. sed laetis amara miscebantur. quis enim dubitat quin persaepe eis in mentem venerit quam caduca esset ea felicitas quae in unius hominis indole posita esset? instare funestam diem—sic eos reputavisse veri simile est—cum aut protervus adulescens aut tyranni suspicax animus in perniciem, non in salutem populi potentia illa maxima usurus esset. nam senatum et leges, inanem libertatis imaginem, ut bonis principibus materiem praebere bene de re publica merendi, ita malos haudquaquam coercere posse.

## XCII

Ignava haec et abiecta: sed quos pascebant dominorum vitia, adulatrix turba, ad caelum ea laudibus ferebant. sic enim subdolis blanditiis commemorabant: his atque talibus laboribus et Graecum Herculem, devicto leone Nemeaeo caesoque apro Erymanthio, numero deorum adscriptum aeternamque apud homines memoriam reliquisse. illud eos fefellit, non eadem pristinis temporibus et orbe iam domito excultoque decora esse. quamdiu enim decertavere de agris vacuis cum hominibus ferae et pellebant invicem ac pellebantur, qui prospero velut bello eas devinceret, is bene de genere humano meruisse haud iniuria habebatur. prolatis vero imperii Romani finibus, formidavere iam pridem ora hominum urbiumque frequentiam ferae et in avia cessere: unde cum dolo interceptae Romam deportarentur ut principis manu, publicum spectaculum, caederentur, illud et in principe ridendum et in populum praegrave fuit. sed ignarus huius discriminis Commodus, arrepta tam insigni similitudine, Romanum se Herculem appellari voluit.

## XCIII

Qui cetera insulae incolebant Celtae ita vitam usque ad hoc tempus degerant ut singulis gentibus adscripti neque in

unam civitatem convenissent neque ulla huc indole traherentur, etsi interdum qui validae genti imperabat tantum apud finitimos potentiae adsequebatur ut regium sibi nomen adsumeret. neque leges erant communes praeter ius Bretonense, quod vates sacerdotesque condiderant, multiplex illud quidem et levissima quoque complexum, nulla tamen iusta potestate, per quam ratum fieret, innixum. non vinculo quisquam, quale inter cives est, teneri, nisi quod erga suum quisque ducem tamquam consanguineum studio inconsulto flagrabant. bella inter gentes adsidua: nulla non armata securi dextra. ne omnes cum omnibus coniungerentur, obstabant paludes silvaeque ingentes quibus obsita tunc terra erat. umidiore caelo quam ut segetes crescerent, agrorum cultura, unde plerumque mitescunt homines, apud paucos exercebatur: greges et armenta pascebant, vix ipsi a vagando domibusque incertis destiterant. nusquam urbes, nisi quas in litore exiguas Dani posuerant. haud multum a feritate aberant Celtae, quos qui tunc ipse vidit, vir in notandis moribus acerrimus, ferorum hominum ritu praefervidos, leves, infidos esse scripsit.

## XCIV

Quae cum ita essent, is tamen animus erat civitatis ut mirum in modum suis viribus confideret, sibi placeret, satis se munitam putaret. cum enim et ob maiorum facta superbirent et pacem, qua diu fructi essent, diuturnam fore crederent, instituta autem rei publicae quam optima esse et qui domesticis dominis carerent foris quoque hostem depellere posse arbitrarentur, ubi augeri vires finitimorum et instrui in se copias maiores viderunt, nec commovebantur nec operam navabant, ingruente autem tempestate simul sua virtute freta gens simul laboris molestiarumque castrensium impatiens in unius aleam pugnae cuncta proiecit et iniquo Marte potius contendere voluit quam latrocinando et belli diuturnitate vires hostium frangere. triplicem igitur numero hostem aggressi id scilicet sibi persuasum habebant quod hodie quoque qui

'in mensa' solent 'pingere castra mero,' cum tribus Gallis unum Anglum haud male componi, equitibus autem et sagittariis quod carerent, virtute praestantibus nihil hoc obfuturum esse. populo utique volenti erat certamen, ut qui facile fore existimaret, etiam si hunc exercitum amisisset, inter aliena versantem hostem impetu undique facto opprimere.

## XCV

Postquam vero exutus est regno tyrannus finibusque expulsus, odium in misericordiam verti coeptum est ac relabente, ut fit, favoris aestu nonnulli, quibus salus sua fide potior erat, ita sibi ipsis consulebant ut Sigeum ad Pisistratum nuntios mitterent, non eo scilicet animo ut ipsi eum in patriam reducturi essent, qui quam implacabili in inimicos ingenio esset satis, credo, compertum habebant, sed potius ut haberent quo inniterentur si forte ab aliis esset restitutus. horum vix enarrari, vix audiri sine horrore potest perfidia: hanc autem intuenti simul illud patescit, qualis eorum qui regnante Pisistrato res gesserant vita fuerit: hac enim hi instituti erant, quorum erant qui potestatibus imperiisque a Clisthene aucti et eum ipsum et civitatem omnem hostibus prodebant. qui subscriptores, cum auxilium eius invocabatur, fuerant, Timocrates et Callicles, coniurationis et ipsi haud expertes erant, etsi hic quidem non tam sibi consulens quam laesus subitaque ira accensus defecerat: nam in tanta morum levitate multa multi propter odium ac simultates agebant: neque difficile est creditu, eos ipsos, qui dominatione eversa dominum tamen exulem colebant, si arma externa in patriam ingruissent, pro patria arma sumpturos fuisse.

## XCVI

His potentiam arripientibus mille obstabant pericula, mille aemuli: bellum gerere adsidue, iura aliena conterere, nulla religione a vi, proditione, caede revocari. dum utile

esset, dum sibi ipsis prodesset, facere vel nefaria fas ducebant neque scelesti hoc esse sed quae cuperet adsequentis: qui ultra tenderet, non tam scelus in se quam stultitiam admittere, indignam scilicet homine rerum perito, ut quae nihil commodi adferret. non ei erant quos umquam paeniteret sed qui ratione omnia tamquam calculis metirentur. verum tamen ne tum quidem non restabant pericula cum omnes per angustias enisi in optato se fastigio conlocaverant: nam adhuc contra eos luctandum erat qui aut rerum gerendarum participes esse consueti quod ab hoc depulsi essent aegerrime ferebant aut, cum ipsi summam potentiam concupiissent in priorem fortioremve de hac spe deiecti saeviebant.

## XCVII

Nullius in annalibus populi tot sunt, quot in Florentinorum, res quas vix intellegas, quae prorsus inter se pugnare videantur. multa ante oculos nostros ponit scriptor, ut interesse agendis videaris: multa geruntur, immo vero tempestatis ritu praetereunt semper, numquam quiescunt, nulli rationi obtemperant, solo ex casu, quod perspicere possis, oriuntur. ex odio privato, invidia, ultionis cupidine novantur res, suorum urbs sanguine madescit: turbantur menses aliquot, fortasse aliquot annos, deinde novis ac temerariis edictis compescuntur, quae vix a magistratibus sancta sunt cum et ipsa aut violantur aut abrogantur. unde fit ut tuo iure quaeras, num haec a rerum hominumque peritis ac prudentibus gesta sint. nam aut falso laudabantur, tamquam sagaces et in rebus callidi, qui neque leges dare patriae salutares neque diuturna instituta poterant, sed in gravissimis rei publicae temporibus suo tantum odio, suo amore rapiebantur: aut multa iam saecula inmerito laudantur rerum scriptores qui quae fieri non poterant tamquam facta ante oculos nostros ostenderunt. fieri vero qui potuit ut tantam rerum perturbationem tanta prudentia pepererit? perturbatis autem rebus, cum res publica, sicut navis, nulli non vento esset obnoxia, quomodo

tot tam egregia in aere et marmore opera, quomodo in litteris, in physicis tanti fructus in lucem provenire poterant?

## XCVIII

Cum vetera omnia amplexari soleant homines, nihil fere est quod magis ac constantius amplexentur quam sacra ac ritus deorum. sunt nempe quae in homine plurimum possunt, quae penitus insita sunt: haec cum sacrum aliquid plenumque religionis adripuerunt, adhaerent hederae ritu nec nisi diu luctata avelluntur. avelluntur autem vel aegrius, cum patriae amor accedit coliturque una cum dis veteris gloria populi, qui et natus sit dis auspicibus et identidem magistratus creet, qui multa per saecula ita res suas cottidie in pace gesserit, ita belli fluctibus iactatus sit, ita victor gaudio exultaverit ut eadem suspiceret numina, eodem auxilio deorum inniteretur. et vulgus quidem vel facilis superstitio vel feriarum illecebrae tenuerint veteremque ad religionem adstrinxerint: is autem ordo, qui honoribus potitus diu saluti publicae praeter alios consuluit, qui per maiorum seriem seu fictam sive veram cum populi fortuna suam coniunctam esse fortunam sensit, altius magisque ex animo quam plebecula vetustissima quaeque instituta admiratur. horum religionibus adminiculo est litterarum peritia et antiquitatis: immo vero, cum exoleverunt, in locum earum venit. ipsi adeo qui de omnibus dubitant Epicurei, quibus omnes de deis opiniones disciplinaeque pares sunt, eam potissimam habebunt quae diu polluerit et dulcedinem quandam ex vetustate traxerit, cui et ingenia poetarum et fortium veneratio novam dignitatem gloriamque addiderint.

## XCIX

Hoc ab initio coeptum a Graecis de libertate certamen multa sane habuit mirabilia plurimumque semper—sic dis visum erat—caedis atque ignis, praeter omnia autem quae

memorantur bella commovebat hominum animos tenebatque non lenibus illecebris sed ira atque indignatione devinctos. dignum id bellum, ut diximus, Homeri Maronisve praeconio: non tamen eodem pacto splendidum fuit quo Troianum Thebanumve, ne eo quidem quo Messeniense. nusquam Glauci cum Diomede congressio, nusquam victis parcentium et eo clariores victoriae: nemo pudori militari, suo omnes commodo turpissime consulere: viduarum orborumque preces apud neutros audiri: nemo esse, quem ut Solonem aliquem vel Pittacum revererentur: numquam hoc meminerant et se et hostes homines pariter natos, eisdem morbis eisdem periculis ac necessitatibus obnoxios: fugienti ex acie vix erat quo se reciperet, nulla capto spes.

Alteri poenas sine misericordia sumere, ultione gestire: alteri tamquam in sacra sua aspernantes saevire, odio, metu, patrio quodam contemptu super omnia incensi. ubicumque bellum gerebatur, ubicumque exercitus incesserant, ibi vasta omnia invenires, deformes campos ac Phlegraeo illi similes vel Libyco, nusquam tamen, quale ad fanum Hammonis est, virentis herbae iugerum. ut nos auras haurimus, haurire eos diceres saevitiam efferasque libidines. sed, ut malorum Ilias, Ilias tamen illud bellum erat. mutabat identidem se fortuna, oppressi paene obrutique rursus se recipiebant, audaces adeo ut nihil ultra posset auderi, eoque in patriam amore ut necem ipsam amplecterentur. ubi ter quaterque hostis funestus vastaverat omnia diroque gressu foedaverat, ibidem usque spes renasci, renidere velut flores ac prospera in futurum portendere.

## C

Italiam paucorum imperiis obnoxiam intuenti foeda sane visu species obversatur. hinc egeni, illinc divites: nihil medium, abrupta omnia et in exitium tractura. velut in bina se castra diductos utrique sentire: hi altius ad fastigium evehi, illi magis magisque in praeceps deprimi: simul cre-

brius accidebat, quanto manifestius hoc utrisque erat et acerbius discrimen, ut modo ex summis in ima singuli, modo ex imis ad summa iactarentur. diceres in medio velut voraginem patescere. multa tamen inter eos communia erant; illud in primis, ut cum suis ante larem suum vivere nemo iam adsuesceret—unde autem nisi ex vita hac domestica civitatibus robur accrescit?—eadem praeterea apud utrosque socordia ac luxus: effundere pecuniam, cum parcere viderentur, alieno per ignaviam auxilio niti, vendere ac venire, hi pluris, illi minoris, omnem exuere religionem scelesti, rem habentibus indicendum esse bellum putare. duae nempe fuerunt, quarum velut foedere ex Italia Itali depulsi sunt, Opulentia et Egestas. hinc aut catenata servitia ubique aut vastum ac deforme silentium. quae omnia, quamvis tristia adspectu, non apud Italos solos invenias. sit civitas mancipiis locuples, deveniat ad locupletes omnis potentia: nusquam non eandem solitudinem, nusquam non quos divina natura dedit agros humana pravitate videas vastatos.

## CI

Cum igitur et stent hodie aedificiorum ipsorum tantae moles et cubiculum Paridis Homerus idemque atrium Alcinoi quale fuerit enarret, videre paene nobis videmur priscam illam aetatem, tyrannorum altricem proprias arces insidentium, cum a patre filio traderetur divinitus, ut credebant, acceptum imperium et penes regem saepe esset quicquid usquam id temporis ad laute politeque vivendum erat repertum. aedificia autem ingentia illa cum intuemur, ingemiscamus necesse est, tot hominum incassum labores esse effusos: licet interdum in commune consuluerint duces lacumque aliquem Copaensem haustu egesserint, coacta per vim plebe ad versandum ligonem. quid ipsi reges? sibi vivunt, sibi quaerunt voluptates, ut plerumque fit ubicunque Thessalorum more, nullis urbibus legibusve vita degitur.

Populum vero per agros dispersum, arando serendoque intentum, exiguos incolentem vicos, regius ille splendor armorumque ex arcibus fulgor procul visus delectabat, credo, aliquo modo tumulique illi et muri non inhonesta oblectatione, sicut ipsos tyrannos, adficiebant. nec tamen deerant tristiora cogitatu: infaustum possidentibus aurum, nova quaedam, si saevire vellent, tyrannis subsidia, cum ferri aerisque tam sollertes pascerent apud se artifices qui equuleum aliquem ad lacerandos homines, ad urendos taurum fabricari possent. haec obscura tum volgi suspicio fuit: manet tot post saeculis eiusdem formidinis memoria et, sicut apud nos agricolae Tusco metum incutiunt exstructa Porsennae iussu saxa, sic labyrintheos illos flexus disiectosque lapides spectantibus, ubi genio suo veteres indulgebant tyranni, non sine horrore obversatur.

## CII

Tumescentes animos flectat orator: res gerenti durius aliquid ac diuturnius quaerendum est, prudentia populi oportet innitatur eaque, quae ex prudentia nascitur, constantia: qua qui caret, rationis egentem, ut incendia aedium, sic rerum discrimina deprehendent. itaque tunc rogabatur: duraturane esset haec tam fervida liberarum civitatum voluntas? idcircone studio arderent, quod leges ac libertatem, quanti essent, tanti aestimarent? satisne sagax esset populus? intellegeretne eo rem deductam esse ut aut aequis legibus obtemperari, aut edictis certantium tribunorum misceri omnia necesse esset? possetne ita bellum geri, sublato odio, sublata spe praedae, solitis bellantium incitamentis, in causam, non in hominem propensīs animis? haec, gravia sane, agitabantur: nec praesto erat, quo tam gravia decernerentur, exemplum.

## CIII

Cum ad locum nescio quem in adverso litore positum venissemus egressique cenaremus, venit ad me ex nautis

quidam Callicles et esse sibi dixit de quo loqui mecum vellet, quod ad me pertineret. loqui iussi. ille se, quodcumque posset, facere velle dixit ut ne immemor videretur beneficiorum, quae in adflictis suis rebus a me accepisset, et 'scin tu' inquit 'quo naviges, quod consilium sit navigationis istius?' cum nescire me respondissem, 'at ego tibi' inquit 'narrabo; decet enim certiorem te fieri, ut videre quid agendum sit possis. exulem, quem bis capitis condemnaverunt Athenienses, Callistratum dico, Methona Thasum vecturus es ad filiae maritum Timomachum.' 'hoc ego' inquit 'ex servis Callippi comperi. tu igitur, si sapies, nullum exulem in nave tua pedem ponere sines: vetant enim leges.'

## CIV

Haec mihi cum Callicles dixisset, accedo ad Callippum, rogo quo cursum dirigeret, quemnam hominum inde vecturus esset. ille me inridere, minari mihi eo pacto quo vos, puto, intellegetis (neque enim non experti estis quae sit Callippi asperitas): ad haec ego sic eum adlocutus sum: 'sunt' inquam 'qui mihi dicant, Callistratum te arcessitum navigare: ego vero nullum exulem veham aut arcessitum ibo: nam excipere exulem leges vetant, aut, qui exceperit, eum eadem poena adficiunt. Thasum igitur ad imperatorem extemplo revertar.' ubi autem nautae navem conscenderunt, retro Thasum petere gubernatorem iussi. adversatus est Callippus et Macedoniam potius, sicut imperator mandavisset, petendam esse dixit. contra gubernator Posidippus: praeesse me navi, a me rationem Atheniensibus reddendam, a me mercedem se accipere: quo igitur ego iussissem, Thasum ad imperatorem se navigaturum.

## CV

Fuisse in Antigoni regis exercitu miles quidam dicitur qui, cum color in ore aegrotantis quam maxime esset, fortitudinem

tamen insignem praestaret: cum roganti regi, unde hic pallor esset et aegroti species, occulto se aliquo morbo vexari respondisset, medicis suis impense rex imperasse fertur ut omnem huic curam adhiberent neve operae parcerent si modo sanum validumque rursus redderent. brevi tempore cum miles convaluisset, posthac tamen et ad obeunda pericula segnior et in ipso proelio minus audax videretur, valde admiratus rex quod sic esset mutatus, ignaviam ei exprobravit: ad haec miles—tantum enim abfuit ut veram causam occuleret—'ipse tu solus' inquit 'rex, effecisti ut minus audax sim minusque quam antea mortem expetam: sustulisti enim, qui vitam mihi vix ferendam reddebant, dolores.'

## CVI

Cum ipse ad honestiora omnia propensus esset, tantundem apud Dionysium ea praecepta ponderis habitura arbitratus Dio postremo ei persuasit ut, cum forte vacaret, adhiberet ad colloquium et audiret Platonem. cum ad colloquium conventum est, et de omni virtute disceptabatur et praecipue de fortitudine cuius nemini tam exiguam esse partem praedicabat Plato quam tyrannis. deinde de iustitia ac probitate disserens felicem proborum, miseram esse improborum sortem adfirmabat. hic incensus rex, cum redarguere quae dicebantur non posset, neque reliquum audire sermonem voluit et ceteris, qui audiebant, maxime irascebatur, qui cum admiratione ac gaudio sermonem exceperant. tandem summam in iram effusus philosophum rogavit, quid in Sicilia ageret. ad haec Plato 'veni' inquit 'si forte virum probum invenirem.' cui rex 'apparet igitur operam te perdidisse.'

## CVII

Plura adeo conquestus erat, nisi commonuisset uxor excipi sermonem posse. excepit autem ipse princeps, qui per transennam in forum despiciebat et, solitam sibi oblectationem,

ementium vendentiumque mores notabat. duci ad se qui conquesti essent iussit. qui cum metu perculsi adstitissent interrogantique summa gravitate quaenam essent locuti vera edidissent, haec in memoria tenerent hortatus est; multum apud se esse pecuniae, plus etiam esse erogandum: tantum abesse ut otio luxuque difflueret, ut totam imperii molem unus sustineret. ad extremum admonuit ut posthac cautius loquerentur: auritos enim saepe esse parietes. 'ite' inquit. 'vos inter inopiam non inopes: ego licet tantas opes possideam inops semper ero.'

## CVIII

Fabula est apud Parthenium haud illepida, hoc quasi lege quadam naturae suae Naidem quandam perpessam esse, ut certis temporibus in foedae ac mortiferae anguis formam mutaretur. si qui mutatae nocuissent, eos bonorum quae largiri posset in aeternum esse expertes: qui quamvis turpem visu misericordia commoti servavissent, his eam postea sua specie obversari venustam et caelestem, euntes comitari, perficere optata, domos locupletare, voti reos et in amoribus et in bellis gerendis facere.

Huic similis Libertas est. interdum in anguem versa repit humi, sibilat, aculeo praetereuntem petit. cave vero fastiditam conculces. felices, qui cum turpem ac metuendam tamen exceperint praemiis aliquando a formosa ac splendida adficientur.

## CIX*a*

Tum demum animalia terram atque ignem miscendo sub terris finxerunt di, ficta autem ubi in lucem protracturi erant, iubent Prometheum Epimetheumque ita ea instruere ut, quale quodque animal esse oporteret, tale efficerent. tum Prometheo Epimetheus 'meum sit' inquit 'sua singulis tribuere: tu deinde quod factum erit inspicito.' quod ubi inter eos convenit, divisit Epimetheus.

Erant enim quibus vires sine celeritate dedit : alia armavit, alia inermia reliquit, his autem aliud praesidium excogitavit ; nam aut magna fecit, quibus tutelae esset magnitudo, aut exigua, quorum ea esset natura ut per aera volantia vel demissa sub terram effugium haberent. sic alio carentibus aliud concedebat, ne quod eorum genus interiret. ubi vero satis cautum est, ne aliud ab alio direptum periret, contra caeli quoque tempestates ita singulis integumenta repperit ut aut pilis crebris obduceret aut crassis tegeret coriis, quae frigora hiemis, aestatis calores defenderent. varia deinde ciborum genera constituit, his herbam e terra nascentem, illis fructus arborum aut radices, illis porro ut aliis animalibus vescerentur permisit.

## CIX*b*

His igitur rationibus grassatus Epimetheus, cum admodum sapiens non esset, omnia quae penes se essent brutis animalibus tributa esse oblitus, ubi ad hominem ventum est, adhuc subsidiis carentem, quo se verteret non habebat.

Qui dum sic dubitat haeretque, venit Prometheus ut quae frater egisset inspiceret, et cetera quidem animalia satis instructa invenit, unum hominem nudum et inermem, cui neque calcei neque vestis stragula esset. aderat autem tempus, quo homini deinceps in lucem esset prodeundum : cui cum salutem reperiri posse desperaret Prometheus, Minervae Volcanique artes fabriles unaque ignem—neque enim parari sine igne neque exerceri poterant—furatus a dis hominibus dedit. sic ea sollertia, quae ad vitam sustentandam sufficeret, potitus est homo, illa altera, qua civitates reguntur, adhuc carebat, quae Iovis ipsius in manibus fuit.

## CX

Venit et Ulixis anima, cuius novissima forte sors exciderat, ad eligendam—nondum enim elegerat—vitam. ille autem tot laborum ante perlatorum sibi conscius et adversus poten-

tiae illecebras tutus aliquamdiu circumibat vitam quaerens hominis privati, qui curis careret: quam aegre invenit: iacebat enim a ceteris fastidita: ille vero, ubi hanc conspexit, idem se facturum fuisse dixit, si prima, non extrema sors obtigisset, et libenter ea potiri. neque solum in animalia homines ibant, sed illud adiciendum est animalia multa, et feras et mitiora pecudum ingenia, aut inter se mutata esse aut in hominum naturas consimiles migravisse, bona in mites, mala in asperos, in suam quodque, qualiscunque esset, similitudinem conversa.

## CXI

Hic respondit qui primus semper loqui solebat, procacissimus idem et loquacissimus ex tribus amicis: 'cur totus' inquit 'pallio involutus es, ut nihil praeter vultum dispici possit? quid vult ista canities? quid vitae huc usque productae diuturnitas?'

Ad haec senex, cum paullisper tacuisset, summa interrogantem gravitate intuens, ad extremum 'idcirco' inquit 'vitam traho quod, cum orbis terrarum nullas non partes pervestigaverim ipsamque Indiae longinquitatem attigerim, neminem tamen inveni qui sua iuventute senectutem meam mutare vellet. cogor igitur onus hoc annorum tamdiu perferre quamdiu dis placuerit: neque enim Orco persuadere possum ut mihi subveniat, quamquam multa suspiria traho crebrosque gemitus, sicut fessus viator et inquietus, ad finem itineris pervenire gestiens. saepe mehercule terram baculo percutiens "recipe me in sinum, cara," inquam "mater: vae mihi, quando mea quiescent ossa?" nondum illa querentem respexit: itaque quin vivam, hospites, facere non possum.'

## CXII

Multum ante mecum dubitavi, hospes, quam rogare te constitui ut vitam tuam mihi narrares: nam expertus scio,

qui malum narret, novo eum adfici malo: sed dea magna, cuius qualiscunque sum sacerdos, saepe mihi cupidinem iniecit multorum prospera et adversa sciscitandi, qui oraculum eius identidem veniunt consulturi, saepe autem eiusmodi mihi postea consilium patefecit ut huic omnem, qua fructi sunt, acceptam referant felicitatem. valde igitur mihi persuasum est, similem te cum multis fructum percipere posse, si similem mihi praebueris materiam.

Ad haec advena ille: vae mihi, inquit, etsi satis confido et multum tibi deam istam indulsisse et multum te prudentia pollere, tamen adeo constanter me deorum inclementia insectatur ut haud minus stultitia quam aerumnis insignis sim futurus si ullam mihi nisi in morte fore sperem quietem: immo vero ne tum quidem satis tranquillum me futurum scio, nam cum somnus sit imago mortis, somnia autem mea me haud minus crucient quam cogitationes diurnae, nimium mihi in promptu est suspicari, quod ceteris malorum omnium remedium est, id in uno me vi sua cariturum esse.

## CXIII

Quae cogitarent homines, quae longinquis in locis gererentur saepissime pronuntiabat, ea quidem brevitate quae et virum tam gravem deceret et qualicunque eventu perfugium relinqueret. inter quae Neronem a fulminis ictu vix evasurum praedixit: qui huic succederent, haud diu rei Romanae praefuturos, 'huius in locum' inquit 'multi venient Thebani': Vespasianum Alexandriae commorantem certiorem fecit, incendio tum maxime Capitolium hauriri: Titum a propinquo vi occisum iri vaticinatus est: Aegyptii cuiusdam, quo duce itineris utebatur, res privatas sibi cognitas esse ostendit: naufragio navem, quam conscenderat, perituram praevidit, propraetorem quendam Ciliciae securi percussum iri, cuius exitium his verbis patefecit, 'O diem' inquit 'praestitutum.' neque illud praetermittendum est, pestem eum Ephesi et praedixisse et sustulisse, quod miraculum certiore quam

cetera indicio, posita propter hoc ab Ephesiis eius statua, confirmatur. hunc ita ab eo morbum ferunt depulsum ut senem quendam, mali scilicet auctorem, lapidibus obrui iuberet: dimotis autem lapidibus canem, in quem ille versus esset, inventum.

## CXIV

Falsa haec prodigia si quis modo enarraverit, continuo ut indigna auditu videantur effecerit—sunt autem pleraque miraculis, quae Pythagorae tribuuntur, adsimulata—atque ex his ea ipsa, quae per se redargui non possunt, eis in rebus, eo pacto gesta esse dicuntur ut haud minus sint improbanda. in huius se figuram mutasse deus Proteus dicitur: nascenti lapsum e caelo fulmen concentusque cycnorum praeconio fuisse: morientem mira quaedam vox in caelum vocasse: post mortem autem adulescenti visus, ut immortalem esse animam ei persuaderet. fertur idem linguam avium tenuisse, animam Achillis ab inferis excitasse, numen malevolum e puero depulisse: productus autem coram Tigellino ex libello, quo accusaretur, litterae ut evanescerent effecisse, a Domitiano in vincula coniectus artibus non humanis se exsolvisse, in corpore leonis animam Amasis deprehendisse, adulescentem canis morsu rabidum factum sanavisse, quem Telephum esse Mysum autumaverit.

## CXV

Hic cum in amicorum numero me esse vellet, novo sane modo neque inurbano id effecit. nam cum Liviam venissem salutatum et in atrio essem, aggressus 'nosse te' inquit 'Pedo, velim: sed quis hanc expetat voluptatem, te quoque scire aequum est. Fabium quendam Maximum dici audivisti, senem consularem, de quo multa Marones vestri Nasonesque cecinerunt. cum eiusmodi ingeniis vitam ego degi: quibus cum superstes essem neque pares me inventurum sperarem,

confeci, ut ita dicam, rationes, clausi tabernam, multosque iam annos eo commercio careo: id ut rursus inire cuperem, antequam e vita excederem, tu effecisti. quod nunc facio. domum igitur venies mecumque cenabis.' portenti hic, inquam, instar est: nam in summa senectute tam facetus, tam alacri ingenio est quam pauci iuvenum: unus et delectari novit et alios delectare, ut nihil simile viderim: praeterea doctrina, comitate, sensu communi insignis est.

## CXVI

Pomponius Secundus, gente ortus vetere ac praetoria, quo tempore multam rebus scaenicis operam impendebat, theatrum sibi satis festivum exstruendum locaverat. id antequam amicis et hospitibus patefieret, experiri voluit an audiendis histrionibus esset idoneum. in extrema igitur cavea cum se collocavisset, fabrum, qui operis erat redemptor, e scaena loqui iussit. atque ille primum cunctari, imperitum se in publico loquendi professus: quomodo tantam patroni dignitatem alloqueretur nescire. ad haec Pomponius, qua erat comitate: quicquid in buccam veniret eloqueretur. brevem igitur post moram sic exorsus est, satis sane ut audiri posset: 'optime' inquit 'et illustrissime Pomponi, tres iam menses ego operaeque meae hoc in theatro operam nauamus, nummulum tamen mercedis nullum vidimus: quam si actutum solves, pergratum nobis feceris: sin minus, clavum praeterea nullum figemus.' hoc cum narraret Pomponius, praeclare illum elocutum aiebat, re tamen minus quam voce placuisse.

## CXVII

Dux Gallorum Napoleo, dum cum poeta quodam Germano colloquitur, mirari se dixit quod tantum Caesar erravisset: cum autem ille vultu significaret scire se cupere quinam is error fuisset, in hoc erravisse Caesarem respondit quod vitam suam eis credidisset quorum consilia sui occidendi comperta

haberet. hic tacitus ille secum: 'numquam tu quidem' inquit 'istum in errorem incides.' sed viden quam lubricum sit iudicium, cum de mortuo vivus iudicat? licet hunc Caesaris errorem numquam in se admissurus fuerit Napoleo: numquam certe Romanus, vir omnibus numeris praestantissimus, idcirco cladem accepisset, sicut alter accepit, quod gentium indolem, cum quibus pugnaret, caelique incertas tempestates ignoraret. generosius autem perit is, qui nimium aliis fidit quam qui, cum multa ignoret, nimium sibi placet.

## CXVIII

Di boni, quam mirum in modum multa deprehenduntur! exemplo erit quod nuper mihi accidit. nam his in saturis, quas identidem edo, hominem quendam descripseram, cui per iocum Maevio nomen indidi, qui multa in me absentem probra apud sodales meos congesserat: illi autem, ut fit, mihi haec omnia detulerunt. tradidi libellum Sosiis: atque ecce tibi haud multo post, dum apud tonsorem sedeo nihil in quemquam mali meditans, praeteriens amicus alter—esto hic Naevius—contrahit frontem, verbum nullum adicit, torvo vultu discedit. ecce amicorum discidium, ecce hostis ex amico! ille de se fabulam a me credit narratam, cum ne semel quidem, ita me di ament, in mentem mihi venerit: alium prorsus ante oculos habebam cum delictum illud corrigebam. sed viden ut se prodiderit Naevius? culpae sibi conscius in iram exarsit, nullo accusante sontem se confessus est, subduxit manum ferulae quam nemo deferebat. monstraveram tantum culpae genus: inruit amicus, reum se subdit, fremens, vaesanus cornu me ut lacessitus petit. *ἀμέλει*, deprensus es, Naevi: non tamen, o bone, propter hoc nos *μνησικακοῦμεν*.

## CXIX

Forte innotuerat, seditiosorum conventum Lugduni habitum iri; nonnullus hinc metus: et cupiebat noster compertum

referre, quid ea res sibi vellet, utrum spernenda esset an verum intenderet periculum. dedita opera Lugdunum venit —tanti scilicet putaverat—ut ipsi rei spectator interesset. praefectus oppidi, cum ad eum ex itinere venisset, primo valde dissuadere, ne in contionem iret, ad extremum suo periculo iturum dicere; nam se quidem nihil recipere, ne illud quidem, fore ut vivus evaderet. non eo minus temptanda res Laurentio visa est, ut cui 'semper foret alea cordi.' pergit igitur et cum cetera intrat turba; vixdum agi coeptum erat, cum eum adesse nescio quis certior factus surrexit et contionem admonuit, venisse ex Anglia speculatorem qui notaret omnia et apud illos, infestam immanemque gentem, in actis patefaceret. turbata extemplo contio, et undique clamabatur 'quaeramus proditorem, ad mortem trahamus, fluvio demergamus.' quid nostrum egisse putas? nimirum et ipse inter clamantes statim fuit, consurgit tamquam valde indignabundus et voce quam maxima 'quaeramus' inquit 'hostem; ipse ego novi vultum hominis.' sic incolumis evasit, dum sese ipse indagandum esse clamitat.

## CXX

Erat Lucilius sententiis sane intemperantior, sed a suspicione coniurationis remotus, adeo autem audax promptusque ingenio ut vix impune lacesseretur: iudicium igitur eius modi fuit ut paene in scaena agi crederes. aderat reis Scaevola orationibusque artem patronorum inlustravit. contra dicebat Volcatius, praetoria tum vir dignitate, mox consulari, legum vel contra rationem exactor acerrimus, qui multa nectendo, aliud ex alio colligendo formulis criminibusque translaticiis reos inretire conatus est: quod velut rete Scaevola uno ictu discidit proiecitque. itaque e iudicibus aliquis 'egone censerem' inquit 'scelus eum patrasse videri, qui quid deliquisset vix novem horis vir praetorius, summa iuris scientia, enarrare potuisset?' forte Volcatius, quem postea propter avaritiam Bulgatium homines appellabant, ita orationem

exorsus erat ut lucri se contemptorem lacrimans ostenderet: nihil se praeter famam bonam habiturum quod liberis relinqueret. hic cum rogasset nescio quis e corona quid fleret Volcatius, ex adstantibus alius 'ideo' inquit 'flet, quod cogitat quantillam rem liberis suis sit legaturus.'

## CXXI

Dixerat Marcellus, etsi quae eventu prava essent suasisset, recta se suadere voluisse. ad haec Helvidius 'accidit interdum, Patres Conscripti,' inquit 'ut inter rectum pravumque, inter verum ac falsum tantillum intersit loci, vix ut dinosci possint, noxiis ac periculosis ea saepe accedunt adhaerentque ut utilia ac commoda possint videri. ubi vero ea coeptantur quae per se prava sunt, qualia nunc Marcello obiciuntur, temerasse fidem publicam, sustulisse leges, imperia evertisse, frustra ibi voluntatem quamlibet egregiam obtenderis.' idem tempora excusanti ut plena aleae ac necessitatis, sic respondet, necessitatis si quid fuisset id ab ipso conflatum, ipsum eum pravis consiliis principem in angustias deduxisse: nullo autem iure id sua culpa consecuturum ut, quod pars magna delicti esset, propter hoc ipsum sceleris expers videretur.

## CXXII

Tres annos et triginta natus, cum vir esset et facetiis et doctrina et urbanitate insignis, negotio omni, omni quaestu carebat. frigebat liber Epidemiarum: neque valde urbem calefecerat ille qui de Imagunculis inscribitur Dialogus. Graecis autem versibus, quos post Callimachum vel saltem post Parthenium optimos pangere ferebatur, non id erat adsecutus ut apud principem in negotio esset. habitabat in Subura, scalis tribus nec nimis lautis (quam eius egestatem leniter, puto, inridet senex Plinius) cum repente has inter sordes adfuit e Palatio vel potius ab ipsa Fortuna missus nuntius—Fonteius is fuit Capito, quem postea consulatu

princeps auxit—desiderari carmen de victoria Parthica Corbulonis: velletne id scribere Saleius? cum velle se dixisset, tulit hoc responsum Capito ad Claudium qui tunc a rationibus Neroni erat. profligatum carmen necdum absolutum ad Claudium defertur, quod ille oculo percurrens in hos devenit versiculos.

> Sed quali poteris versu, quo carmine, Musa,
> dicere commissas insano Marte catervas?
> ingruit en stridor litui clangorque tubarum
> victorumque minas miscet gemitusque cadentum.
> plurima pila volant dextris et rumpitur aether
> missilibus: pugnae fremuere tonitrua campo.
> hic ducis eluxit magnae constantia mentis,
> qui medio in fluctu, tot concurrentibus armis,
> immotus, medio in strepitu et formidine et ira,
> omnia lustravit diri spectacula belli.
> ille videt placidus caedem, turmae ille labanti
> auxilium mittit: pulsas idem ille cohortes
> restituit: creperum docet ille ardescere Martem.

## CXXII

Unum et viginti annos natus Romae adulescens versari atque adeo inter lautissimos incipit. deducitur ad Corneliam, feminam illustrem, ventitat cum turba salutantium: 'hic, crede mihi, etsi mirum est' ait 'nulla alea est: venusti homines, multa comitas leporque sermonis.' ibi cum Philodemo se Graecorum doctissimo scribit congressurum. accipe vero sententiam quam pro lauto puero graviorem: 'adeo rusticus sum ἐν τοῖς πολιτικοῖς ut vix ullum prodesse posse bellum existimem, vix ullam obesse rei publicae pacem.' sexto autem ac vicesimo anno aetatis Athenas navigat, urbem illam valde probat, Romanis coetibus antefert: 'aleae minus' inquit 'plus sermonis: non conferta hospitibus atria, sed angustiores nec tamen iniucundi circuli, ubi et noveris et ipse paene omnibus notus sis.' miratur, quam suspiciant Graeci

mores Romanos: 'nunc quidem illis videmur φιλοσόφων πόλις patriaeque amantium.'

## CXXIV

Hic ut crearetur, mitissimis primum verbis summaque comitate suadebatur. aspernatur hanc agendi lenitatem Pothinus; in iram exardescit: numquam se id facturum: discessurum potius ipsum a rerum gubernaculis. ubi haec eadem non quidem summa vi inculcari, sed suaderi tamen haud setius intellexit, nullum non lapidem, ut aiunt, movebat ut ne dicto pareretur. terere tempus, insidiis grassari, quae parum ad rem essent disceptanda proferre, trahere in litem ipsum Ptolemaeum, inter eum Syriaeque proconsulem discordias serere. tandem Romanus satis a se toleratum ratus, misit ad Pothinum qui admoneret, hanc eiusmodi rem esse ut impune eam differri senatus non esset passurus. haec qui pertulit, nihil non se auditurum putabat convicii. quod secus evenit. placide senex positaque adrogantia, 'ἀλλὰ νὴ Δία' inquit 'εἴπερ ἐπίταγμα τοῦτο ἐπιτάττεται, οὐδὲν ἔγωγε ἔτι ἀντιλέγειν ἔχω.' transacta igitur res est. quippe imperare, non suadere, solitus a mandato non abhorrebat, salutare consilium, quod voluntati suae contrarium esset, ferre non poterat.

## CXXV

Sic infensis animis disceditur. dein ingressus cymbam Thrasea dum Transtiberinam domum petit, laetum se et hilarem praebuit meque laetitia adfecit, cum crimine maiestatis eum solutum esse sperarem. ubi vero in ulteriorem ripam adpulit domumque venit, cum in hortis una ambularemus, tum ego, ut de rei eventu certior fierem 'prolixa' inquam 'omnia esse confido, cum te tam hilarem aspiciam.' tum ille 'deorum quidem' inquit 'beneficio, mi Helvidi.' cui ego: 'ergo iam nusquam est istud de maiestate crimen.' 'ita me di ament' inquit 'ne memineram quidem.

'ain' tu' inquam 'cum et tua res agatur et omnium propter te nostrum? quali me spe deiecisti, qui voltu tuo prospera coniectaram!' ad haec ille 'quaeris, Helvidi, cur laetus fuerim? gaudebam mehercule quod blandienti fortunae ac prava suadenti restitissem eoque hodie apud proceres istos processissem, unde pedem referre nisi summo dedecore non liceret.' quo audito valde contristatus sum: tam enim displicebant haec mihi quam illi placebant.

## CXXVI

Omnium hic colloquium vitabat spernebatque: idem tamen, si quando in Alcibiadem inciderat, qui tunc admodum erat adulescens, sed promptus et audax ingenio, perquam benigne eum et comiter salutabat. eam rem miratus Apemantus cum Timonem rogasset quaenam causa esset, 'ideo' inquit 'eum diligo, quod scio quot malorum Atheniensibus auctor sit futurus.' traditur idem alio die, cum frequens convenisset populus, in tribunal ascendisse et, cum rei novitate silerent omnes animumque adtenderent, sic eos allocutus: 'ficus est,' inquit, 'Athenienses, in areola quadam aedium mearum, ex qua complures civium suspendere sese dignati sunt. iam vero, quoniam consilium cepi eo in loco aedificandi, facere non potui quin vobis hoc edicerem ut, si quibus ex vestro numero id facere in animo est, festinent moniti et ante se suspendant quam arbor eruta sit.'

## CXXVII

Habuit eius sermo hoc insigne: scires eum vitae peritiam in certas quasdam ac proverbio similes sententias coniecisse. ex his sunt quae mihi in mentem veniunt. dicere solebat: 'si quando cum seniore iunior loqueris, illud semper memoria teneto, quamvis sit stultus, sibi eum ideo sapientiorem videri quod senior sit.' idem Maecenatis dictum referebat, quod erat eiusmodi: 'cum tibi librum scriptor

donaverit, protinus accepisse te rescribito: utrum legeris, dicendum non erit.' praeceptum ab alio nescio quo sumptum, Messalam puto, probabat: 'amicum, qui te laeserit, ne praeterieris insalutatum: praecideris enim dicendi quae illi molesta sint facultatem.' hoc etiam praecipiebat: 'disputare nolito: nam neque tu adversario neque ille tibi manus dabit: stolidum autem ille te semper putabit, quod a se dissenseris.'

## CXXVIII

Iampridem mihi, quacunque incedo, inhaerescit in mente sequiturque euntem haec cogitatio, esse quod mihi faciendum sit, esse suscipiendum opus tantum ut ipsum hoc operis vocabulum sesquipedalibus litteris scribendum sit, esse τέλος ad quod natus sim: Curtio me similem esse, quem in aestuantem ignibus voraginem armatum cum equo insilire oporteat: latere morbum civitatis pergravem, cuius ego repertor, ego medicus idem destiner. insectatur me, velut Socratem alterum τὸ δαιμόνιον: adest inter platearum strepitus, ad lucernam vigilanti adsedit: poculum in convivio tollenti cubitum tetigit, equitantem in campo, peregrinantem non reliquit: cum umentia Baiis

saxa sonant fluctu, dum mugit arena Salerni,

ipsam tempestatem pervincere divina haec vox videbatur: dormienti ad caput adstans 'excute, iners' inquit 'somnos: nondum tibi navis in alto est.' vixdum annus est ex quo cum Athenis in Dionysiaco illo theatro essem—fulgebat autem luna—eadem illa tam adsidua praesto fuit ὀμφή: 'Balbe,' inquit, vel 'Rufe' (quo enim nomine appeller susque deque est) 'belle tu quidem, o bone, hic te Athenis oblectas: domi tamen esse oportuit: novus enim novo tibi Homero peragendus est Margites': quo audito intellexi eorum mihi mores esse describendos, qui sicut rana bovem lautos imitantur ac sectantur, quod et plurimum Romae genus et stultissimum est.

## CXXIX

Saeculi vitam ac mores, si Reguli inspicias, contempleris simul ac mireris. pater regnante Nerone in exilium pulsus eversusque: ipse audax ingenioque validus, cum opibus famaeque comparandae nihil non posthaberet, adulescens admodum ex tenebris et egestate se evehere constituerat, idque brevi effecit, adeo ut neminem ad atrocia promptiorem nacta sit saevitia regnantium: eversis domibus praeclaris Crassorum Orphitorumque famam sinistram adeptus, mox caedis lucrique avidus per saturam, ut aiunt, pueros innoxios, honestas matronas, splendidissima quemque gente oriundos in exitium trahebat. displicebat illi, tamquam lentior, crudelitas Neronis: totum senatum uno ictu esse tollendum clamitabat. divitiis brevi spatio ingentibus, honoribus effusis auctus, postquam Vespasiani Titique sub principatu prudens a re publica secesserat, imperante asperius Germanico in ipsum fastigium, quo pravo studio contenderat, evectus est.

Huius viri fit saepius, neque umquam non cum laude, in carminibus Martialis mentio. ingenio ac facundia insignem: pietate vel insigniorem. providisse deos, ne porticus repente conlapsa ruina obrueretur. praedia eum Tusculi et in Umbria Etruriaque habere: cum causam ageret, frequentia iudicia. sed nocet his tot laudibus inops laudator: nam inter grates agendas orat Regulum ut dona sua a se pretio redimat. eiusdem Reguli, sed post Germanici mortem, facit Plinius quoque in epistulis mentionem. mutatis temporibus nullus iam delatori locus, non eadem in Regulo superbia. sed adhuc opes habentem et sectantur multi et metuunt, multum adhuc in iudiciis valet.

## CXXX

Severior M. Aurelio Antonino et operosior virtus erat. eam multa cum sapientibus colloquia, multi patienter excepti

sermones, multae in studia absumptae noctes, haud indignum tot curis fructum, protulerant. austeram illam Stoicorum disciplinam iam tum amplexus, cum duodecim annos natus esset, ita se regere discebat ut animo corpus, cupiditates rationi parerent: nihil bonum nisi virtutem, nihil nisi pravitatem malum putare: quae extra se posita essent, parvi omnia momenti. exstant eius meditationum commentarii inter castrensem strepitum exarati. quin etiam praecepta sapientiae publice tradere voluit, quod haud scio an et modestiae sapientis et principis dignitati absonum fuerit. sed e vita eius clarius quam ex sermonibus eluxit doctrina Zenonis. nihil sibi condonabat, multa alienae imbecillitati: aequus erga omnes et beneficus erat.

## CXXXI

Plus sane viderat quam putabat Choerilus cum illud dixit, nulli tam numinum se quod canere posset referre acceptum quam Pecuniae. quoties enim novam velut in pulpita personam inducturus erat, statim de mercede solebat pacisci: quam numquam qui denegavit impune tulit. hoc igitur pacto nummos sibi, panem, equos, vestimenta, nihil denique non comparabat. egenum se esse atque adeo esurire simulabat, cum luxuria diffluens sex aleret servos, sex equos. Musae suae sortem conquerebatur, quales aerumnas quam divina pateretur. pudebat eum carere pecunia, numquam pudebat flagitare. hunc igitur omnes colebant, ut qui versus eius metuerent. uxoris vero matrem sororemque ipse e vinculis solverat Ptolemaeus, postquam carmen Graecis versibus conditum poeta misit litterasque simul hunc in modum scriptas: 'eorum' inquit 'ego in numero sum, quorum facundia facta praeclara inlustrantur immortalesque qui natura mortales sunt fieri possunt: tua autem tam insignia facinora enarranda mihi suscepi, per quae socordia Parthorum, dis simul volentibus, acie victor extitisti.'

## CXXXII

Ille quidem eo saeculo natus, cum maxime flagrarent partium studia, aliena ferre, sibi moderari conatus, cum optima vellet, sollertia tamen grassari et factione cum factiosis certare coactus est; itaque inmerito famae nocuit quod in haec intenti rerum scriptores bonas artes, quae ei sine dubio inerant, parum viderunt, parum consideraverunt inter quae quam anceps ei identidem fuerit electio; neque enim, quod eorum est qui hodie rebus praesunt, ille erat adsecutus, ut alia infitiando alia ad effectum perduceret. dici de eo potest quod de viro nescio quot partibus maiore: taciturnitatem quandam cum ei dedisset natura, inde evenisse ut interdum dissimulator haberetur. quod tacere sciebat, quod sibi temperare, ideo, quoad vixit, diffidebant homines et de fide eius dubitabant. quae autem supremis annis egit rei publicae praepositus, ea cum spectarent aequales iure se suspicatos quae toties suspicati essent putabant; itaque apud posteros quoque pravior, quam meruerat, est habitus.

## CXXXIII

Dum rebus publicis interfuit, semper ille servandam esse pacem, consulendum aerario, obsistendum peculatibus contendebat. numquam ipse de pecunia aut publica aut privata, ne ab infestissimo quidem inimico, accusatus est. neque iniuria haec ei integritas gloriae fuit, eo saeculo, ubi et facile esset in re publica versantibus de publico clam locupletari—quod multi fecerunt—et facile his peccatis ignosceretur. tantum autem aberat ut opulentior a re publica discederet ut adeo pauperior evaserit, neque ullum hac de re crimen aut in historiis aequalium aut in libellis carminibusve factiosorum invenimus obiectum, eiusmodi temporibus cum de re publica dissentientes nulla non inter se probra intenderent, cum et laudare nimis et vituperare moris esset. hoc de eo satis acerbe scriptum habemus: 'ille, si quis alius, ita natus est ut

non posset non esse fraudulentus.' scriptum reliquit is, qui maxime maximeque metuendis viribus in re publica adversatus est. huic plus iusto, post mortem quidem suam vituperanti opponas licet nimis laudantem Statium, qui otium et secessum et aequum tamquam sapientis animum his versibus extulit:

O praestans animi vicibusque exercite duris,
irarum et fastus expers expersque doloris,
quem non aura levis vulgi, non purpura regum
concussit, mortisve metus lucrive cupido.

(*Aliter conversum.*)

praestans hic animi vicesque rerum
expertus toties dolore et ira
et fastu caruit: nec ille fasces
aut vulgi dubiam strepentis auram
captavit cupidus; lucri cupido
non movit stabilem timorve mortis.

## CXXXIV

Non ille quidem e re publica esse credebat ea diruere quae speraretur tantum, non sciretur posse melius exaedificari. ita deis fidebat ut hominum sapientiae non sine ratione diffideret. atque haud scio an propterea maxime, quod sibi ipse diffidebat, id ei contigerit ut tota civitas omnem in eo fidem positam haberet: sentiebant enim, quemcumque ille locum consulto cepisset, non fore ut inde recedendum esset. qui, dum bellum civile gerebatur, pedetemptim quidem sed tamen constanter progrediebatur, sicut exercitus olim Romanorum. viam munitam post tergum relinquebat in qua insistere posset fides civitatis: quocumque ibat, cives omnes secum trahebat: quae occupaverat possidebat, quo praesidium praemiserat, ibi mox colonia erat constituta. ipse Fabricios referebat et arcessitos

ab aratro Cincinnatos. quis umquam principum tantam ingeni praestantiam tanta cum vitae animique simplicitate coniunxit? quis tantum apud populum suum potuit potentiae suae tam nescius? quod ideo illi contigit quia quicquid erat in civitate prudentiae, in unum hominem confluxisse videbatur.

## CXXXV

Sed non hoc loco, non hoc tempore vitia eius virtutesque expendendae sunt. non, ut multi, is erat qui rectum a se semper teneri cursum putaret. libenter, credo, de multis vitae suae temporibus idem dixisset quod olim Drusus: 'fateor nos vix ferendam in pertinaciam prolapsos': simile est quod ipse, cum decennio abhinc a gubernaculis rei publicae decederet, serio animo et honesto dixit: 'multa in rebus praeteritis sunt,' inquit, 'quae condemnanda mihi, multa quae deploranda videantur: sed tota hominis vita in trutinam ponenda est.' numquam ille quidem, etsi multorum conviciis lacessitus, aut erga alios memor iniuriarum videtur fuisse aut sibi parum imperavisse. non tam quid egerit spectanti quam qualis fuerit vir summus habendus est.

iuvit sumpta ducem, iuvit dimissa potestas.

si cum ceteris conferas, qui simul in re publica versati sunt, habuit ille, quod in illo velut campo maxime necessarium est, nervos atque vires.

## CXXXVI

Huius in re publica curriculum nemo perscrutatus est qui non illud miratus sit, quantopere de eo viro cives sui dissenserint qui tamdiu in oculis omnium versaretur. nempe hactenus consentiebatur, maximam ei navitatem, inlustrem eloquentiam esse. nulla ulterius concordia: pars civium ut verborum argutias sectantem, imprudentem, parum rei pub-

licae consulentem, dominandi cupidum incusabant: alteri non modo haec crimina depellebant, sed in eodem homine eam fidem ac religionem, id probitatis honestique studium suspiciebant qualia nemo per multa saecula in re publica praecellentium praestitisset. nobis vero, cum breviter excusserimus quibus ille artibus, quibus ad res gerendas facultatibus praeditus fuerit, ad hanc opinionum diversitatem reverti haud ab re erit, si forte indagare possimus utri sententiae plus insit veritatis.

## CXXXVII

Enimvero quid pulchrius eiusmodi vita, quae et quieta sit et sibi ipsa sufficiat neque tamen aliis non prosit, qualem philosophi antiqui docebant esse degendam? quam quidem numquam tam pauci quam hodie degerunt eorum qui excellenti ingenio sunt, quoniam pluribus hoc saeculo praemiis eiusmodi homines alliciuntur ut in pulverem ac strepitum forensem artes suas deferant. Quintilio vero, ut sapiens esset, nihil defuit. sciebat quibus ex rebus voluptatem caperet, neque alias expetebat. noverat idem, quid facere posset perite. quo sua ferebat indoles, sequebatur. tam paucae erant cupidines ut omnibus satis facere posset. qualem esse vitam voluit, talem effecerat. quid autem amplius amicis optare possumus quam ut, cum eorum reminiscamur, nihil sit quod deploremus utque omnes qui societate eorum sint usi, propterea se in posterum redditos meliores sentiant, ut felici ac tranquillae vitae velut cumulus accedat repentinus et doloris expers exitus?

## CXXXVIII

Iam inde ab anno aetatis quarto et vicesimo haud sine molestia et angore hoc senserat, esse sibi debere in quod vitam impenderet. illud obstabat, quod nihil usquam quod sibi idoneum esset reperiebat. erat ei ingenium haud medi-

ocre multaeque artes egregiae : minime unum e multis diceres. sed dis illi sinistris acciderat ut eorum in numero esset qui non tam apiscendo gloriam oculos in se hominum convertunt quam non apiscendo. eorum nimirum erat de quibus dici solet donec ad annum tricesimum pervenerunt, fore ut aliquid faciant: pervenitur ad quintum et tricesimum, 'posset' inquiunt 'si vellet': postea vero, facere quidvis potuisse, si voluissent. ex tribus his spatiis secundum tunc Laurentius percurrebat, tres annos iam et triginta natus; sed amicorum si qui provectum volebant verebantur ne trium annorum intervallo in tertium recideret: neque non et ipse hoc metuere incipiebat, cumque is non esset qui de se ipso desperaret, eo inclinabat ut de saeculo desperaret suo.

## CXXXIX

Egregiis ille quidem artibus erat praeditus, multa legerat, nullum laborem detrectabat. quod si ex tribus curriculis, quae insistere in promptu fuit, unum elegisset, si foro ac legibus, si litteris, si rei publicae constanter operam dedisset, fieri non poterat ut non omnibus antecelleret et ad summum fere fastigium evaderet. sed tria strictim attingere cum voluisset, minime eo pervenit quo in uno quolibet negotio erat perventurus. illud quoque dis sinistris fecerat, ut ab eiusmodi scriptis scriptor auspicaretur unde multos esset habiturus inimicos; neque umquam, ne extremo quidem velut curriculi spatio, id efficere potuit ut qualis ab initio visus esset non tum quoque civitati videretur. praeterea erat in colloquendo nescio quae temeritas, tamquam neminem suspicientis, quae cum multos oblectabat tum haud minus irae movebat. quocumque tempore convenires, quicunque sermoni interessent, pluris se haberi quam quemquam alium postulabat. profluens de omni rerum genere sermo, talis sane plerumque unde disceres aliquid, interdum rideres; sed hoc nocebat, quod ne intellegere quidem videbatur, esse locorum esse temporum discrimina, ut aliis aliae res essent idoneae.

## CXL

Inerat Scipioni cum simplicitas mira et candor, adeo ut saepe sensus suos tum eloqueretur cum plerique ea dignitate homines aut nihil aut caute dicturi fuissent, tum quanto vix in alio quoquam taciturnitas. quod tacere e re publica esset, quod ab aliis suae fidei commissum, tacere sciebat. sed saepe vitae cottidianae quamvis usitatis negotiis eas offundebat tenebras quarum vix rationem redderes. cui taciturnitati saepius eo usque morem gessit, ut haud iraturus sim legentibus si credere quod narraturus sum dubitaverint. pecuniam in agris emendis optime poni putabat, fore enim ut paullatim pretium intenderetur: plus autem a Scipione quam a privato exspectari cum crederet, praedium Tiburtinum cognitorem suo, non patroni, nomine emere iussit. facto, quod iusserat, multis demum post annis, mortuo Scipione, filius, ut cui cum probo homine res esset, dominum se esse certior fit fundi satis pretiosi, quem sibi heredibusque suis cognitor, si quadruplator esse voluisset, nullo impediente retinere potuisset.

## CXLI

Mira in disceptando comitas et modestia: nihil sibi adrogare, sententias alienas magni facere, tamquam nihil sui secum adferret, sed discere tantum et certior fieri cuperet. callide percontando et dubitando labefactare invalida; ducere, cum sequi videretur. apud detrectantes etiam et ab his illecebris integros quosque minime falleret alia eum alia se et sentire et sensuros esse, sollers tamen et relligiosus obversabatur; victu admodum abstinens, et idcirco alienas libidines animique motus coercendi capax quod artissime coercebat suas. praestabat etiam industriam et vigilantiam navissimi cuiusque diligentiae comparem: eam ingenii astutiam quam

ne callidissimus quidem laqueis irretire posset: fortitudinemque adeo ceteris eius artibus haud indignam: ut difficile dictu sit, ardentius eum amicum optaverint homines an formidaverint inimicum. itaque hos laetitia, illos maerore mors eius adfecit.

## CXLII

Qualis autem hic fuit? natura mitis ac comis, morum malorum minime ignarus, ut qui per annos triginta nihil in aliis vidisset nisi quae in homine pessima sunt. viderat benevolorum livorem, honestorum perfidiam, viderat provolutos ad pedes suos qui maxime superbiebant, qui ob amorem patriae moresque integros se maxime venditabant, pecunia, sed magna, se venditantes. depulsus a rei publicae gubernaculis periculosum esse eum locum aiebat: perpaucos esse quorum non depravari ibi ingenia necesse esset, sordes semper, semper pravitatem intuendo. ipse autem iure laudandus est quod tam integer evasit: paucos enim fuisse fatendum est qui simili ex periculo tot artes animi egregias tam incorruptas extulerint. ille enim, cum viginti annos summam rerum unus administrasset, ita a potestate decessit ut neque morosus esset neque ad misericordiam obduruisset; simplici victu, nihil in sermone habituque triste aut absconditum, amicitiae adhuc idoneus. non proditor suorum, non beneficiorum immemor, non ad saevitiam propensus fuit; caret eiusmodi maculis ea, quam apud posteros habet, memoria, et ex aequalibus ei ipsi, qui in re publica infestissime adversabantur, cum nulla non in eum probra congererent, illud tamen fatebantur, caedis ac cruoris minime eum cupidum esse. hoc pacto laudari qui his temporibus rei publicae praesunt fortasse noluerint, sed quotusquisque tum hoc praeconio dignus erat?

## CXLIII

Semper ad serviendum propensa gens Gallorum, semper armorum gloriae proferendique potius imperii adpetens quam domesticae libertatis velut vinctam se imperatori tradidit. itaque decernente quotannis eo senatu quem ex satellitibus suis sibique obnoxiis constituerat, iuventutem gentis, postremo etiam pueros ad signa traxit paratisque ingentibus copiis quas adhuc ille idem accendebat ardor quo ad res novandas flagraverant, magis tamen accendebat inquieta quaedam vagandi ac pericula obeundi cupido, cum imparibus manum hostibus conseruit, cum mercennario milite, cum imperitia avitis rationibus bellantium, cum regnis situ dilapsis ac paene corruentibus : donec acerba dominatione victor populos omnes ad depugnandum erexit, praecisa pacis spe, cum omnes sub iugum mittere cuperet perfidusque adeo esset ut nullo foedere teneri posset. neque rectum pravumque discernebat : immotus dolores alienos spectabat, immotus acies cruentas. cupidine dominationis flagranti accedebat effera quaedam bello velut alea ludendi voluptas. ne consulere quidem civitati ut suae didicerat, cum peregrinus semper inter Gallos versaretur. inservire Galliam inceptis suis tamquam exercituum modo altricem cogebat : quae quomodo suam rem agi tum sentiebat cum in Russiam arma intulit? ei vero genti, quae contra eum se accingebat, de salute sua, ne funditus interiret, depugnandum erat.

## CXLIV

Cum iras, odia, amores hominum spectabat, ille certe—quid dicam?—haerebat. adeo enim ipse his adfectibus carebat ut paene pro ignotis haberet : ecquem praevidere, ecquem divinare posse quo homines is ardor animi quove tenus esset rapturus? nobis quondam audientibus 'si quem

scis sibi consulturum' inquit 'tenes quomodo cum eo agendum sit: si is est qui adfectibus animi obtemperet, frustra quo iturus sit conicias.' res publicas tractanti haud prodest haec tanta animi tranquillitas: nam ut carere vitiis laudabile est, ita vix humanum ne sentire quidem illecebras vitiorum. illi quidem hoc semper obfuturum erat, si vixisset, quod temerarium illud ac praeceps, quo ceteri fere homines aut ad bona aut ad mala trahuntur, in eo non erat. quae fecerant alii vel subito quodam benevolentiae impulsu vel ipsa animi, sicut venti, mobilitate, ea ille saepe ex consilio ac ratione sibi ipsis consulentium profecta esse credebat. contemptorem hominum, quod ad mentem ac sententias adtineret, multi putabant—neque prorsus negari potest—etsi in moribus et in agendo comem atque facilem. naturam hominum extrinsecus spectabat: quod cum nimis faceret, sibi uni semper consulentis ea putabat quae re vera non uno animi impetu sed inter bona malaque permixto fiebant.

## CXLV

Hic regem ipsum, quo duce militia imbutus erat, imitandum sibi proposuit, fortissimum virum summumque imperatorem: quem ut aequaret vel adeo superaret nihil ei nisi vita diuturnior defuit. obviam ire periculis, ut militem decet: ut imperatorem, omnia aequo animo citissimeque circumspicere: instare constantia virili, adulescentis ritu a nullo incepto abhorrere: ita Martis amore flagrare ut dignitatem simul regiam, simul modestiam sapientis honestique religionem ac fidem praestaret. nullis ille calamitatibus iactatus spem deponebat, sed strenue idem et celeriter vel gravissima clade accepta se recipiebat. numquam ita ei obsisti poterat ut audacia languesceret, numquam ita extorqueri quae speraverat ut defervesceret virtus. magna sane, quo erat ingenio, appetebat, fortasse vix homini adipiscenda: sed vir eiusmodi non eisdem, quibus plerique, vitae rationibus uti solet:

itaque cum in perficiendis quae cuperet ceteris praestaret, cupere maiora suo quodam iure audebat. erat cum Decios ac Camillos nostra quoque tempora imitarentur: hunc autem velut exemplar extitisse dicas saeculi honesta mirantis, cum magni erat magnum esse virum, cum fortibus regna contingebant, cum equiti Germano, qui virtute illustris esset, ad ipsum principatum patebat aditus.

## CXLVI

Non is erat Verulamius qui propenso ad tristiora animo vitae incommoda molestius ferret: quin etiam ex gravissimo velut volnere, cum viri honesti nomine carendum esset, mirum quam celeriter convaluit, in solitudinem sponte sua se recepit, ad rerum naturam indagandam quicquid erat ingeni contulit. qua cum indole esset, ne affectibus quidem animi nimiis commovebatur: non amore, non odio victus concuti penitusve perstringi, non excitari ferrive praeceps solebat: ita amabat oderatque ut lente invidere, lente bene velle videretur. nulla amicitia, ne summo quidem obsequio effici poterat ut ex animo quemquam diligeret; neque magis inimicitiis commovebatur. huic amicum periclitantem deserere insectarique adeo, ut principis gratia potiretur, perfacile fuit, perfacile nulla re nisi divitiis inlectum uxorem ducere.

## CXLVII

neque praefervida ac calida indoles, neque mens erat erroribus, quos ille εἴδωλα appellabat, obnoxia. ut non gelu constrictum, frigidum tamen diceres, qui ita diligeret improbaretque ut aequi semper animi esset. sine amore studioque benevolum, comem, facilem se praebebat, sine odio ac livore hostem. quem si iusta trutina expendere velis et utrimque spectare, fatearis necesse est ut infidas eius amicitias, ita minime acerbam fuisse inimicitiam. utramque

enim facile suscipiebat exercebatque, quodque in amico infidum et ingratum, id in hoste magni animi multaeque clementiae videbatur. immemor erat interdum beneficiorum, immemor idem simultatum.

## CXLVIII

Minime ille quidem cum Epicteto ceterisque sentit, si qui e sapientibus a suae civitatis rebus hominem ad universam humani generis civitatem avocant. postquam rei publicae praesint principes, multum sane de splendore, multum de libertate civili detractum; esse tamen quod velut in altera librae lance ponendum esset; servari pacem, legibus ubique pareri. quae de re publica praecipit, in hanc fere sententiam excurrunt: *Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει.* ipse illo ingenio, illis artibus praeditus, per quas immortalitatem est consecutus, in sordido oppidulo, ubi natus erat, tenuem habere magistratum non dedignatus est: proponit sibi exemplar Epaminondan, qui viarum curationi cloacisque purgandis a Thebano populo praepositus munus illud suscipiendo illustravisset. monet discipulum adulescentem, etsi nulla iam gerenda contingant bella, nulla ferienda cum magnis populis foedera, posse tamen cum prava aliqua consuetudine bellari, renovari aliquid quod orbis egenisque sustentandis institutum vetustate elanguerit, dilapsum aquae ductum resarciri, posse sacrificio praesideri.

## CXLIX

Idem tamen quae vitia habeat saeculi sui vita municipalis acerrime videt: videt quanta honorum ac dignitatum cupidine flagrent homines, quantus aemulantium inter se fervor et improbitas, nulla non lenocinia ad captandum vulgus adhibentium; quam venalis ipse populus, quam parati huic morem gerere divites congiaria ac munera praebendo, in illam

etiam amentiam propensi ut decretis longis ac grandiloquis agi sibi gratias, sibi statuas poni concupiscant: videt denique ruentia in servitutem municipia, dum vel ad minima curam principis identidem invocando tenuem sibi relictam libertatis umbram proiciunt. nempe his invocationibus senescere industriam civilem et eo citius res ferri, quo ferantur, ut penes unum sint omnia. proinde navarent potius omnes operam ut suam quisque civitatem quantulacunque esset meliorem redderent quam aut fastidio spretam relinquerent aut latiore in campo enitescere festinarent.

## CL

Si nunc nobis statuendum esset utrum arma capere, incendere civium domos et diripere oporteret, ipse quoque fortasse in egestate securus esse quam cum periculo locupletari maluissem. sed quoniam iam in armis sumus multumque iam mali patratum est, ferrum in manu teneamus necesse est et fructum aliquem ex commissa iniuriâ percipiamus. quod si ad cetera indociles sumus, docet ipsa necessitas. ardet in nos odio civitas, nova in nos arma procuduntur: neque alia ratione veterum scelerum veniam adsequemur nisi nova admittendo, nisi incendiis ac rapinis iterandis augendisque et pluribus harum rerum consciis adsciscendis: quia, cum multi peccant, in neminem animadvertitur, et poena parvis delictis, magnis ac gravibus praemia tribui solent; ubi autem in multos peccatur, pauci ultionem expetunt: patientius enim communes iniuriae universorum quam singulorum tolerantur miseriae. scelera igitur quo plura admittemus, eo facilius ut veniam adipiscamur efficiemus.

## CLI

Convocatos, antequam profectus est, cum vultu habituque deiectos videret, hunc in modum adlocutus est: 'Videtis, Patres vosque domus nostrae seniores, quo pacto me pessum

dederit Fortuna, vobis periculum intenderit. hoc neque ipse miror nec mirari vos oportet: semper enim haec sors eorum est qui inter multitudinem improborum probe agere volunt quodque plurimi evertere cupiunt id ut sustineant nituntur. idem me amor patriae, qui quondam cum Thrasybulo coniunxit, postea et a Demetrio sevocavit et ut odissem eos effecit qui nunc rei publicae praesunt, qui, quoniam nemo est qui in eos animadvertere possit, ne reprehendere quidem malefacta sua quemquam sinunt. quos facile patior meo exilio metu liberari: neque enim me metuunt solum sed omnes quos sentire putant cognitumve habere quam inique, quam contra leges ac libertatem civitatis grassentur. in me autem primum ictum intenderunt, quo facilius obterere vos et iniuriis adficere possint.

## CLII

Non meam vicem doleo: quos enim in me honores libera contulit patria, eos in servitutem redacta adimere non potest; neque tantum quae exul perpessurus sum adferent doloris quantum voluptatis adferet vitae ante actae memoria. illud aegerrime fero, avaritiae ac superbiae paucorum, qui servire sibi eam cogunt, patriam relinqui obnoxiam. vestram vicem doleo: vereor enim ne quae hodie me mala vexare desinunt, vos incipiunt, etiam infestius quam me sunt persecuta vos persecutura sint. solamini igitur alius alium, et quidquid erit adversi perferendum esse statuitote et tales vos praestatote ut cum acciderint clades—multae autem accident—immerito accidisse omnes sciant.

## CLIII

Ex factis Nabidis haec sunt propter quae suspectum eum habemus: quod quasi per saturam pecuniam roganti dat mutuam, neque privatis tantum, sed etiam in aerarium quaestoribus, neque solum Lacedaemoniis, sed etiam mercennariorum militum ducibus: quod praeterea civem quemlibet ope

magistratus egentem adiuvat: quod cum apud omnem civitatem gratiosus sit, modo hunc, modo illum ex amicis ad altiores provehit dignitates. dicere igitur propter quas causas videatur expellendus non possumus ut non benignum esse dicamus, liberalem, munificum, ab omnibus dilectum. dic tu autem quaenam vetet lex, quaenam improbet condemnetve eos qui deos colere largique esse erga homines et benevoli voluerint? sed, etsi tales esse solent ei qui regnum adfectant, parum id vident homines, neque tantum nos valemus ut ad id credendum adducantur. ea enim egimus quae fidem nobis dempserint, civitas autem adsueta seditionibus et propterea venalis in emptorem propensa est neque criminibus eiusmodi aurem praebebit.

## CLIV

Audacis hoc esse consilium, periculosum esse fateor. sed audere, si quando instat necessitas, prudentis est; neque fortium est, cum magna aguntur, de periculis cogitare. semper autem fit ut quae haud sine alea suscipiuntur, aliquando praemium consequantur: neque umquam se ex angustiis quisquam sine aliquo periculo expediit. praeterea, quis non videt, cum tot illi comparent vincula, tot eculeos, tot laqueos ac secures, plus nos periculi adituros si nihil agamus quam si tutos nos facere conemur? certis enim malis dubia mutaverimus. quam saepe vos ego audivi de avaritia potentium, de iniquitate magistratuum querentes! ea nunc occasio est qua non modo vos ab illis liberetis, sed tanto plus potentiae adipiscamini ut plura illi a vobis cur doleant metuantque quam vos ab illis sint habituri. praeterit autem, quam fortuna praebet, occasio et frustra, cum praeterierit, revocari posse sperabitis. quae comparent hostes videtis: ea nos praevertamus, et qui priores in armis erunt, sine dubio erunt victores seque ipsos extollent, perniciem hostibus inferent. sic multis ex nobis honores, omnibus ut tuti simus continget.

## CLV

Neque semper improbanda esse arma quae patriae inferrentur; nam civitates, quamquam ex multis constarent, singulis corporibus esse similes. sicut autem in his multos oriri morbos qui nisi igne aut ferro adhibito sanari non possent, sic in illis tam multa saepe tamque gravia mala incidere, ut cum ferro opus esset potius culpandus esset civis probus et clemens, si morbo implicitam patriam relinqueret quam si hoc ad salutem eius remedio uteretur. quo autem maiore morbo laborare posse civitatem quam servitute? quod magis optandum remedium quam quo uno tolli radicitus posset! nulla esse iusta bella, nisi quae essent necessaria: clementis esse vim adhibere, quoties ad salutem perveniri nisi vi non posset. ecquam autem iniquiorem esse condicionem quam qua tunc premerentur? ecquem iustius vocari misericordem quam qui patriam servientem in libertatem adsereret? iustam igitur suam causam esse, consilium humanitatis, id quod et illi et sibi ipsis facile posse persuaderi.

## CLVI

Sic fore manifestum, plus alteris iniuriae inlatum quam in alteros conlatum beneficii: itaque, quicunque id consilium protulisset, eum paucos conciliaturum amicos, multos inimicos redditurum: intentius autem hos id acturos, ut laederent, quam illos ut munimento essent, nam ad sumendam ultionem propensiores esse homines quam ad beneficia referenda, tamquam hoc nisi aliquo suo incommodo praestari non posset, illud et lucrum adferret et oblectationem. inde Demetrium praecipue adloquens, 'tu vero,' inquit, 'si praeterita in mentem revocare posses, si scires quanta astutia hac in civitate res agerentur, lencius, credo, quo nunc contendis contenderes: nam qui id suadet, cum tua opera potentiam

populo extorserit, is eodem adiuvante populo, qui tum tibi ex amico factus erit inimicus, tibi eam eripiet. accidet autem tibi quod Dionysio accidit, qui cum suadentibus eis qui amici non erant Polyclem et Artemidorum tollendos esse censuisset, ipse haud multo post ab eisdem hominibus in exilium missus est.'

## CLVII

Suscepit hoc negotium Thrasydemus et verbis quibus uti poterat aptissimis ad persuadendum eo eum adducere conatus est ut idem quod ipsi sentiret: ne audaci multitudini favendo id efficeret ut et urbem et qui urbi praeessent iam labefactatos in exitium impellerent. ad haec Clitopho respondit: videri sibi probi et prudentis civis esse, quibus urbs institutis adsuevisset, ea mutare nolle, cum nihil aeque populo noceret: multos enim necessario offendi, ubi autem complures aegre ferrent, ibi numquam non aliquid adversi esse metuendum. se quidem iudice, eorum consilio duas res effici quae maxime essent exitio civitati: alteram quod in eos homines honores conferrent qui cum numquam habuissent minoris facerent: alteram quod eis detraherent qui cum habendis adsuevissent numquam ante quieturi essent quam sibi restituerentur.

## CLVIII

Etsi nulla spes erat aut precibus aut promissis effici posse ut beneficiorum recordaretur et a consilio absisteret, missis tamen legatis temptabant, qualem ille rebus improbe susceptis speciem probitatis obtenderet. qui ubi coram introducti sunt, unus ex eis hunc in modum verba fecit: 'qui aliquid petunt, ei aut precibus uti solent aut muneribus aut minis, ut sibi patrocinetur metus, utilitas, misericordia. sed quoniam nihil haec apud crudeles valent, nihil apud avaros aut eos qui multum posse sibi videntur, eiusmodi hominem frustra speres precibus posse deleniri, frustra conciliari donis

minisve perterreri. nos igitur, quandoquidem superbiam tuam et crudelitatem et dominandi cupidinem, quamvis sero, cognovimus, non eo consilio huc venimus ut quicquam rogemus neque ea spe ut, si rogare vellemus, impetraturi esse videamur, sed ut in mentem tibi revocemus quot quantisque beneficiis a civitate Mediolanensi adfectus quam ingrato quamque inhumano animo eam sis remuneratus, ut, cum multae nobis instent aerumnae, sit aliquod earum solacium quomodo et quo auctore conflatae sint tibi enarravisse.'

## CLIX

Verum ista sunto: morte, puta, ille multatus est vel in exilium actus non rediit: equidem quid inde sit lucri rei publicae futurum non video. nihil enim egerimus nisi ut ab Apollodori dominatione liberati serviamus Demetrio; mihi autem nihil antiquius est quam ut ne quis civium umquam ceteris civibus potentia et auctoritate antecellat. quod si alterutrum ex his dominari necesse est, nihil habeo cur anteponam Apollodoro Demetrium. id tantum dicam: di faxint ne quis in civitate plus possit quam leges aut, si ea sunt scelera nostra ut haud indigni hoc supplicio videamur, illud saltem avertant ut Demetrio sit parendum. quapropter te oro ne id suadeas quod quacunque spectes perniciosum est, neve existimes te cum paucis coniunctum universorum voluntati posse obsistere: cives enim, alii rerum ignari, alii ob improbitatem, vendere rem publicam numquam non parati sunt, id autem eis indulsit Fortuna ut emptorem invenerint. mihi igitur ausculta: vitam agere temperate te adsuefacito, et, quod ad libertatem attinet, tantundem apud nostros homines causae cur diffidas invenies quantum in adversariis. sic autem, si quando mala ingravescent, cum utrisque gratus sis, et tibi ipsi ut bene sit provideris et neminem laeseris.

## CLX

Nolite, ut aliis tantum morigeremini, vosmet ipsos in invidiam adducere. nam nos quidem tollere in promptu est, facti infamiam delere non eiusdem est operae. non hostes sumus, de quibus iure sit sumendum supplicium, sed amici quos bellum vobis indicere necessitas coegit; dandum igitur pietati est, ut vitae nostrae parcatis. cogitatote, antequam sententiam feratis, in deditionem nos venisse, manus ad vos tetendisse: supplicem autem interfici vetat consuetudo Graecorum. illud etiam in mentem revocatote, quam diuturna fuerint in vos nostra beneficia. respicite patrum vestrorum sepulchra, quos a Persis interfectos, in agro nostro sepultos vestimentis aliisque sollemnibus donis publice quotannis honestavimus. illorum nos amici fuimus, terrae amicae, in qua ossa requiescunt, primitias dedimus; fuimus etiam socii quosque una toties pugnantes aetas praeterita vidisset. quos si iniquo vos suffragio damnabitis, videte ne nimia sit futura inter vos illosque dissimilitudo. veniat in mentem, visum sibi Pausaniam, cum illos hic sepeliret, inter amicos se eos, in amica terra condere. quod si nos morte adfeceritis Plataeasque Thebis commiscueritis, nonne patres et cognatos vestros erepto, quo nunc fruuntur, honore in hostili agro, inter interfectores suos destitueritis? nonne ipsam adeo terram, in qua se Graeci in libertatem adseruerunt, in servitutem adegeritis templaque ea vastaveritis in quibus illi deos precati Persas vicerunt, sacra a patribus nostris instituta ei urbi quae suscepit firmavitque ademeritis?

## CLXI

Scio equidem nos ideo huc convocatos ut quae Siciliam petentibus paranda sint deliberemus: sed mea quidem sententia adhuc in dubio est utrum omnino illuc ire oporteat: illud certe non oportet, de re tanta festinanter decernere et bellum quod nobis obfuturum sit peregrinorum impulsu suscipere. atqui mihi ipsi et honorem bellum adfert et de capite meo non

magis sum quam qui minime sollicitus. quod non ideo dico ut eum civem improbem qui capiti reique suae aliquantum consulat: credo enim, qui quid sua intersit videat, eum acrius rei publicae consulturum. verum tamen neque antea umquam famae me cupido eo adduxit ut vel unum verbum aliter dicerem ac sentirem, neque nunc dicam, sed quod optimum mihi videtur factu id sine fuco ac fallaciis proferam. ego autem si id vobis suaderem ut praesentia tutaremini neve pro incerto ac longinquo bono quae iam in manibus sunt proiceretis, satis scio contra istum animum nihil me verbis profecturum: eo potius vos deducere velim ut neque tempus hoc idoneum existimetis neque facile nunc res tantas, quantas animo agitatis, effectum iri.

## CLXII

Quam cunctandi causam, cum nobiscum ipsi consultamus, proferre possumus, quid sociis excusare, cur auxilium eis denegemus? iureiurando eis obstricti sumus, neque sic ratiocinari licet 'at numquam nobis illi auxilium tulerunt.' neque enim, cum socios adsciscebamus, id agebamus ut huc transvecti nobis opem ferrent, sed ut hostes nostros in Sicilia vexarent prohiberentque quominus huc venirent. nos autem, sicut ceteri, quicunque aliis imperitaverunt gentibus, non aliter imperium adepti sumus quam quod ad ferendum auxilium prompti fuimus, sive Graecorum quis sive barbarorum opem nostram implorasset. quod si omnes cessabimus, si consanguinei sint an externi qui opem petent inquiremus, haud multum mehercule imperio nostro adiciemus et magnum erit periculum ne quod habemus omne amittamus. nam validiorum hostium impetum non exspectare sed praevenire solent homines. circumcidere autem imperii molem, sicut sumptus domesticos, non licet: immo vero, quoniam hanc semel nacti sumus potentiam, alios firma manu continere oportet, alios ut adoriamur occasionem aucupari: serviemus enim, nisi imperabimus.

## CLXIII

An eo se consilio adesse suspicarentur ut alteri oppidanorum factioni contra alteram opitularetur? nihil se minus in animo habere. neque plebi neque primoribus quicquam esse causae cur se metuerent. minime id agere se ut pulsis dominis externis domesticos inferret dominos: nec Lacedaemonios, spectatae fidei gentem, quae vel Atheniensem dedecerent faciendo maculam splendori suo adspersuros. illud tamen ne crederent Acanthii, posse se simul cum neutris stare et amicitiam habere, simul Lacedaemoniorum duci portas urbis obserare. quod si verba aspernarentur, vi se usurum: neque enim permissurum ut stipendio iuvarent Athenienses, Graeciam in libertatem adserentibus obsisterent. penes eos esse bona sua servare et urbi decus adsciscere. se tamen, utcunque repugnaretur, causae suae non defuturum. proinde quae meliora essent eligerent.

## CLXIV

Cum propter multa dis immortalibus habenda sit gratia, ob illud quoque bene de vobis meriti mihi videntur, quod ea civitas, quae ut insolentiae suae morem gereret bellum nuper nobis indixit, nunc in unis vobis spem positam habet salutis. fas certe nobis hoc rerum discrimine laetari: nam si sapienter vos deinde consuletis, id profecto eveniet ut eorum calumnias, qui hanc urbem obliquis criminibus persequuntur, rebus ipsis decoreque et honeste refellatis. sic enim nos insimulabant Chii, sic Byzantii Rhodiique, tamquam atrociter in se dominandi consilium iniissemus: itaque inter se coniuraverunt ut recens hoc bellum nobis inferrent. sed hercule manifestum erit, harum rerum inventorem auctoremque Mausolum, cum amicum se Rhodiis esse simularet, libertatem eis ademisse: Chios vero ac Byzantios, qui socios eos appellassent, nullum in rebus adversis auxilium tulisse: vobis eos solis, quos

tantopere formidavissent, salutem suam referre acceptam. quod cum omnes gentes intellexerint, id nimirum effeceritis ut unaquaque in civitate sic se tutam esse plebs arbitretur si vestra utatur amicitia. nec quicquam vobis contingere potest optatius quam ut sua sponte vos diligant omnes, sua sponte vobis omnes confidant.

## CLXV

Nam quod ad Rhodios attinet, si hoc mihi dicere licet, qui pro salute eorum verba facio, evenisse quae evenerunt gaudeo, gaudeo quod, cum vobis iura vestra recuperantibus invidissent, ipsi suam libertatem amiserunt cumque penes eos fuerit aequo foedere cum Graecis ac melioribus coniungi, serviunt barbaris, serviunt, inquam, servis, quos in arces suas receperunt. paene dixerim, si vos eis opem estis laturi, suo illis commodo haec accidisse. nam, dum prosperis rebus uterentur, haud scio an numquam, qui Rhodii essent, sapere didicissent: nunc vero, quoniam experti didicerunt valde hominibus nocere stultitiam, fortasse in posterum fient sapientiores: id quod haud mediocriter eis profuturum existimo. dico igitur conservatores vos eorum potius quam iniuriarum memores exsistere debere, quoniam vos quoque saepe scelesti homines deceperunt neque tamen propter eiusmodi errorem vos ipsos poenam meruisse fateremini.

## CLXVI

Quoties de Philippo agitur, surgunt qui dicant: quanti hercule est pacem habere! quam grave magnum alere exercitum! sunt, inquiunt, qui aerarium diripere velint! pluraque in hunc modum adiciunt: quibus sermonibus vos quidem ut rideatis efficiunt, illi quod libuerit agendi licentiam relinquunt. itaque vobis quidem, Athenienses, in praesens otium ac desidia contingunt, quae vereor ne nimis magno constitisse aliquando existimetis, istis vero et apud populum

gratia et harum merces orationum. mihi autem non vobis ut pacem agatis videtur esse persuadendum, satis enim ad pacem propensi hic sedetis, sed ei qui ea facit quae facere solent hostes. modo illi sit persuasum, parata ac prolixa apud vos sunt omnia. neque id grave existimandum est quod pro salute nostra impendemus sed quae si id impendere nolemus sumus passuri, aerarii vero direptio ratione aliqua custodiendi depellenda est, non rebus nostris hosti condonandis.

## CLXVII

Sic apud maiores vestros res eveniebant, his quos dixi ducibus. apud vos quomodo eveniunt, cum praesint eis hi tam praeclari nostrae aetatis duces? num simile quicquam, num quicquam non dissimile? cetera praetereo de quibus multa loqui possim : illud contemplamini. aemulis ubique sublatis—nam Lacedaemonensium adversae sunt res, occupati Thebani, ceterorum nulli tantum valent ut de principatu nobiscum certare possint—cum et nostra nobis tueri expeditum sit et lites alienas si quae sint diiudicare, erepti sunt agri, qui iure nostri fuerunt, talenta incassum erogavimus plus mille quingenta, socios, quos bello sumus adepti, hi pacem nobis agentibus amiserunt, hostem autem talem, qualem videtis, nostris in nos sumptibus auximus ac confirmavimus : aut proveniat qui volet rogantique mihi dicat, cuiusnam nisi nostra ope vires sibi tantas comparaverit Philippus.

## CLXVIII

His rebus, Athenienses, nihil nostris temporibus accidit gravius, nihil quod graviora sit pariturum, immo vero ne antea quidem, nisi fallor, quicquam accidit eiusmodi. Aeschinis opera eiusque amicorum haec tanta commoda occupavit Philippus : occupavit autem, di boni, incolumi hac urbe, quae defendere Graeciam adsueta est antiquitus et eiusmodi iniurias depellere! Phocios vero miseros qualis obruerit clades, vel ex his decretis apparet, apparet etiam rerum ipsarum testi-

monio. mirum id quidem et miserabile est spectaculum. nam, cum Delphos iter faceremus, videre haec omnia in promptu erat, diruta aedificia, oppida muris exuta, nusquam iuvenem ferendis armis idoneum sed mulierculas imbelles et pueros et miserandos senes. tanta Phociorum civitatem oppressit solitudo, ut verbis satis depingi non possit. quos tamen quis non vestrum fatetur adversus Thebanos olim suffragium tulisse, cum de Atheniensibus in servitutem redigendis consultaretur? quae cum ita sint, qualem, obsecro, sententiam ferrent, si haec audire possent, maiores vestri de eis hominibus qui Phociorum cladis fuissent auctores? nullum, ut mihi quidem videtur, nefas esse putarent, si lapidibus usque ad mortem incesserentur.

## CLXIX

Sescenta sunt praeterea, Athenienses, quae commemorare, etsi possum, nolo, et maritima proelia et in terris gesta bella, alia vetera, alia vestris temporibus suscepta, quae omnia idcirco haec urbs suscepit ut salva esset et libera Graecia. ego vero cum toties in tot discriminibus urbem viderem pro alienis commodis ad decertandum se accinxisse, quid tandem hortarer, quid suaderem eo tempore cum de sua nescio quo modo salute periclitaretur? exprobraremne eis iniurias qui ut servarentur orabant? causas adriperem speciosas per quas perdere omnia liceret? quis medius fidius non iure me occidisset, si patriae illa decora vel verbo commaculare ausus essem? nam quod ad factorum turpitudinem adtinet, vos certe ab ea longe refugissetis. turpes enim si esse voluissetis, quid, quaeso, obstabat? quae vos ab agendo vincula retinebant? nonne suasores aderant Aeschines Aeschinisque amici?

## CLXX

Turpe est, postquam accidit aliquid, sero dicere 'quis hoc putasset? sed tamen hoc vel hoc fieri oportuit, illud infec-

tum relinqui.' multa nunc proferre possint Olynthii quae si tum provisa essent exitium ab iis depulsura fuerint, multa Oritae, multa Phocii, multa quaeque earum, quae interierunt, civitatum. verum quid hoc illis prodesset? dum salva est navis, seu magna seu parva, et nautam decet et gubernatorem et unumquemque deinceps operam impendere ne casu, ne consilio evertatur: postquam est hausta fluctibus, frustra laboratur. nos autem, Athenienses, dum urbem praeclaram, dum opes tantas, tantum apud gentes nomen possidemus, quid tandem facere oportet? multos iampridem ex vobis hoc rogare velle intellego. dicam equidem et rogationem feram: vos eam, si ita visum erit, iubebitis.

## CLXXI

Si nova aliqua de re disceptaretur, Athenienses, exspectassem equidem donec plerique eorum qui loqui solent sententiam dixissent, si autem essent in eorum consiliis quae mihi placerent, tacuissem, sin minus, meum deinceps consilium promere ausus essem. sed quoniam de ea re consultatur de qua saepe hi sunt locuti, iure me eis posteriorem dicere, etsi primus surgam, visum iri existimo. ut ad rem veniam: si prosperae essent res nostrae, nullo opus esset consilio: sed quandoquidem, ut omnes intellegitis, iacent adflictae, pro rerum statu consilium dare conabor et quid mea sententia prudentissimum sit factu dicere. omnium autem primum hoc vobis persuasum esse debet, quae per bellum hoc feceritis, ea non iam esse facienda, sed prorsus his contraria: nam si rebus vestris priora illa consilia nocuerunt, fieri potest ut contraria faciendo eas in melius restituatis.

## CLXXII

Neminem e vestro numero, Athenienses, tam inimicum huic rei publicae esse existimo ut non dolore ac maerore propter ea quae acciderunt adfectus sit. quod si ira ac

querelis id quod factum est infectum reddere possetis, omnes vos id ut ageretis hortatus essem: sed quoniam quae praeterita sunt mutari nequeunt, cavendum autem in futurum est ne rursus his similia accidant, non in querimonias rerum actarum effundi vos debere arbitror, Athenienses, sed potius navare operam ne alia huius modi calamitas ingruere possit, et hoc quidem pro certo habere, nullum eiusmodi consilium a quoquam dari posse eorum, qui rei publicae praesunt, quod vobis operam nullam adhibentibus servare rem publicam possit: non enim consilium id esset, sed numen ac potentia deorum. non alio autem ex fonte haec tot mala fluxerunt, quam quod nonnulli ex oratoribus, quo magis vobis in praesens placeant, sic apud vos contionantur ut non necesse esse adfirment tributum solvere, non stipendia mereri, sed sine ullo vestro labore, sine ullo conatu omnia penes vos futura.

## CLXXIII

Quod si quis vestrum, Athenienses, haec quidem vere a me disputari fatetur, Philippum tamen existimat ideo potentiam quam nunc habet obtenturum quod castella et portus et alia eiusmodi occupaverit, errare hunc et in tenebris versari adfirmaverim. nam cum propterea durat societas quod inter se omnes bene volunt neque aliis aliud, sed idem omnibus videtur expetendum, tum et una navare operam et res asperas ferre et perseverare homines velle confiteor; sin avaritia aliquis atque astutia, sicut Philippus, vires quaesivit, cum primum increpuit suspicio, cum vel in minima re offenditur, evertuntur extemplo omnia ac dissolvuntur. nemo enim, nemo, inquam, Athenienses, iniquitate, periurio, mendacio diuturnum potest imperium consequi. semel ista vigent, paullisper in oculis sunt; in nonnullam forsitan spem efflorescant; sed, quam caduca sint, tempus deprehendit marcescuntque ac sua sponte decidunt. nam sicut in aedificio et navigio et quae hunc in modum struuntur, quae infima sunt, ea debent esse firmissima, sic earum rerum, quae ab hominibus geruntur,

rationes ipsas ac principia me quidem iudice iusta et vera esse oportet; id quod longe abest a Philippi rationibus.

## CLXXIV

Nolite existimare, Athenienses, eadem Philippo, eadem ceteris Macedonibus cordi esse. ille gloriam expetit, hanc unam concupivit; ardua experiri, obire pericula qualicunque exitu paratus est, nec tuto vitam degere cupit, sed ea perficere quae nullus antea rex perfecerit Macedonum. horum inceptorum gloriae nullam illi partem capiunt; huc illuc rapiente rege vexantur, conteruntur, adsidue laborant; non quaestibus suis, non negotiis privatis vacant; aut, si quid forte conraserunt, id ubi collocent non habent, quoniam omnes bellum clausit mercatus. hinc facile intellegi potest, quo ergo Philippum animo plerique sint Macedones. nam qui mercede conducti militant excubiasve agunt, ei dicuntur quidem egregii esse et spectati in re bellica; sed re vera, sicut ego ex eo nuper audivi qui in Macedonia fuisset isque esset qui mentiri nesciret, non sunt aliis quibuslibet praestantiores. sin exsistat aliquis proeliorum ac bellorum peritus, eum a Philippo propter invidiam ait depelli, ut qui rerum omnium gloriam sibi habere cupiat; nam ad cetera eius vitia invidiam quoque nimiam accedere.

## CLXXV

Verum enimvero quod actum est id omnes actum omni tempore homines putant neque de actis quisquam censet esse consultandum. de eis a rerum perito petendum est consilium quae aut nunc aut mox agenda sint. illo autem tempore de quo loquor alia nobis impendebant incommoda, alia iam aderant. quid tum ego suaserim spectatote: quae inde evenerunt incassum reprehendere nolitote. nam rerum omnium is, qui dis immortalibus placuit, exitus est: qui res gerit, eius ex

consilio non ex eventu perpendenda est voluntas. nec mihi id vitio verteritis quod proelio Philippus victor extitit: id enim penes deos fuit, non in mea potestate. immo vero illa demonstranda sunt: aut non omnia providisse me quae humana moneret prudentia: aut peragendis eis quae provisa essent non summa fide, summa cura, maiore adeo quam pro viribus meis diligentia me operam dedisse: aut id suscepisse negotium, quod neque honestum esset neque hac urbe dignum nec denique eiusmodi quod detrectari non posset: haec omnia cum demonstraveritis, tum demum me accusatote. quod si ea quae insecuta est tempestate non nos tantum sed ceteri quoque Graeci obruti sunt, quid, quaeso, nobis faciendum est? num facto naufragio navicularium reprehenderetis si cum omnia providisset quaeque ad salutem necessaria putaret omnia in navem parasset, ingruente forte tempestate deficerent ea instrumenta vel confringerentur? nae ille iure sic responderet: 'ego vero gubernacula non tractabam'—sicut in acie copias ego non ducebam—'neque penes me fortuna erat sed penes illam omnia.

## CLXXVI

Cum interrogat aliquis 'quid habes quod contra Nicobulum proferas?' 'faeneratores' inquit 'haec civitas odit: dignus autem odio Nicobulus, nam et ambulat celeri gradu et magna voce loquitur et baculum gestat: quae omnia' ait 'mecum facientia sunt.' neque pudet eum hunc in modum loqui: non intellegit eos, qui audiunt, satis perspectum habere, calumniatoris esse eiusmodi ratiocinationem, non vera iniuria adfecti. ego vero ut faeneratorem non in scelestorum numero posuerim, ita iure nonnullos ex eo genere invisos haberi fateor, qui, cum in unum hunc quaestum incumbant, neque humanitatem neque aliud quicquam praeter lucri cupidinem pensi habeant. nam, quoniam nummos et ipse saepe mutuatus sum, non tantum isti commodavi, haud sum ignarus horum hominum, neque valde mihi placent: non tamen eos umquam fraudo

aut falsis insector litibus. verum enimvero, qui in mercatura, sicut ego, versatus est et navigavit et periculum obiit, postea autem, cum nummulos aliquot conrasit, faenore eos certo mutuos dedit ut amicis gratificetur neve res sua se imprudente paullatim dilabatur, eiusmodi ego hominem cur in faeneratorum numero haberi oporteat non video: nisi forte sic, Pantaenete, censes, quicunque tibi pecuniam commodaverit, eum odio esse Atheniensibus debere.

## CLXXVII

Hoc est illud consilium Patres Conscripti, tam periculi ac formidinis, ut aiebant, plenum, haec centiceps illa bellua, a qua haustum iri civitatem et omnia vastatum iri dicebant. quae quo iure dicta sint, videatis vos qui hic sedetis, videant ceteri qui ubique sunt cives. dixi equidem et dicam: quamvis multa multi timuerint cum quae neque intellegerent ipsi neque intellegere possent ea consulto a quibusdam in peius deflexa audirent, mihi tamen satis persuasum esse, cum rogationem hanc, quam vobis proponere mihi contigit, rite expenderint, fore ut longe aliter de ea re sentiant, fore ut, si a vobis, quod maximum est, probata legis vim obtinuerit, multa ex ea nasci bona sentiant, haec autem cum senserint, non iam pro amicis eos habeant qui idoneos se quos tam longe a vero seducerent existimarint.

## CLXXVIII

Neminem e civibus esse qui nomini Romano consultum magis cuperet: sibi tamen ita videri, dum temptando increpandoque per legatos spes adhuc esset effici ea quae vellent posse, ad arma non esse confugiendum. 'sane vendibilis' inquit 'oratio, si quis constantiam populi Romani, virtutem, maiores quolibet hoste vires ad caelum laudibus tollit. nec possunt haec, opinor, nec debent maiora haberi quam a me ipso habentur. sed aliis quoque gentibus constantiam esse

existimandum est, virtutem vero cuique populo viresque suas magnopere placere constat. cum Hispanis autem si acie decertandum erit, haud scio an victores simus discessuri. non tamen semper eorum est victoria, non eis semper res bene evenit, qui plus valere sunt visi. fit inter validas gentes controversia? rumpuntur foedera? nihil gravius utrique, nihil magis cavendum. quod quoniam fortasse ex eis eveniet quae nunc agitamus, pedetemptim mehercule et quam prudentissime progrediendum est.'

## CLXXIX

Hinc ad ea conversus quae obiecerat Hortensius, sibi eum consulere nec patriae causa pacis auctorem esse sed ut ne sua suorumque gratia labefactaretur, hunc in modum disputabat: si qui deesse officio et male rem publicam gerere dicerentur, eis non modo non obfuturum bellum sed adeo profuturum esse. 'ego vero' inquit 'civibus meis numquam placere volui nisi saluti publicae quam studiosissime consulendo: nec esse qui aliter sentiant ignoro, sed video, Patres Conscripti, ut qui diu in curia versatus sim, video qui his sententiis constanter restiterint eis aliquando gratias ob hoc ipsum a populo esse redditas. numquam equidem aut ratiocinando aut quae expertus sum retractando quicquam esse causae intellexi cur tutiorem in pace quam in bello esse qui rem publicam administret existimem. immo vero, si rationem sequemur ducem, fieri potius bellum interest eius qui male a se rem gestam sciat: bellum enim, si quid ab eo peccatum est, ab hoc oculos civium abducit: nec tam armorum a togato, si male cesserint, expeti potest ratio quam consiliorum.'

## CLXXX

Venio ad tertium crimen: male gestum esse bellum dicunt. quo pacto inceptum sit bellum, quo rerum statu saga sumpta sint, dixi: gerendi rationem, quoniam neque classi neque exercitui praesum, praestare non debeo. verum tamen, si

tota a me praestanda esset, nullam in me culpam argui posse existimo. sic inde ab initio gestum est ut, si neque domi periclitandum fuit neque maiora quam pro opibus nostris suscipienda, non potuerit aut fortius geri bellum aut diligentius caveri ut tuto navigarent mercatores nostri. at enim serius in hostes impetum fecimus, at non eo quo oportuit robore, non tam crebro quam oportuit eos adorti sumus: cuiusnam haec culpa est? non eorum, qui hos tot annos sic contionantur, ali publice magnos exercitus non oportere? atqui satis scio, nisi quantas habeant copias finitimae gentes cogitabimus, nisi pro eo numero satis ipsi copiarum paratum habebimus, neque arma nos hostibus inferre posse neque nosmet ipsos tutari.

## CLXXXI

Quod si in oppido quoque liceret magistratibus ea imperare imperataque exigere quae ad salutem oppidi pertinerent, quanto iustius suam hanc imperandi potestatem esse, a quo magistratibus ipsis concederetur imperium, cuius in verba iurarent? num exactas pecunias in usum suum se convertisse? num in usum communem impensae suae pepercisse? num ullos labores, ullum periculum se ipsum detrectavisse quod alios subire iussisset? si desertus a suis obrutus pulsusque esset, ecquid inde decoris, ecquid lucri Flandriensibus futurum esse? nolle se credere eis sibi consulto interdici quae nusquam non postulare principes, nusquam non praestare cives solerent.

## CLXXXII

Nihil se eiusmodi a se factum scire quod suorum amorem ac fidem iure a se posset avertere. quod si, quae ut homo deliquisset, ea sic punire dis visum esset, adeo non repugnaturum ut sua sponte eis obtemperaturus esset. nihil minis esse opus, non sibi a suis obsistendum esse. se enim, etsi coercendi si quid temere ab illis susciperetur potestatem ab

eisdem dis concessam haberet, non eo rem deducturum ut spreti imperii exutaeque fidei scelus eis admittendum esset. ut primum ad se nuntium misissent displicere sibi se principem, relinquenda rerum gubernacula esse, libenter se eorum iussu relicturum. libentius ab eis se quam a se eos discessuros : maiores enim sibi curas aerumnasque eorum causa suscipi quam quas illi unquam propter culpam principis pertulissent.

## CLXXXIII

Unde orta sit haec seditio compertum habemus, scimus quid velit, quid petat. qui eam conflaverunt minime nos quid sibi propositum habeant celavere. quid effecturi sint adhuc velut tenebris obductum visus nostros fugit : praedicere autem de hac re quid eventurum sit nolo et semper nolui. quid sperem scio, scio quo, si eveniet, gavisurus sim : rerum futurarum nihil eiusmodi cognitum habeo ut audacter vaticinari possim. libertatemne hoc bellum ei hominum nationi adferet, quam nulla non contumelia adfectam qui ob cutem candidam sibi placent obtrivere? eluenturne tot horum erga illos, quibus penitus imbuti sunt, scelera? hoc nemini nisi dis immortalibus notum est, quorum arbitrio et spiritum ducunt homines et florent marcescuntve civitates. quibus sane eventum huius tam horrendi certaminis libenter permiserim : eosdem tamen deos oro, vosque simul obsecro, Patres Conscripti, ne dextra quisquam nostratum, ne voce eis opituletur qui flagitium omnibus atrocius flagitiis quae in annalibus hominum traduntur in sese admiserunt.

## CLXXXIV

Diligenter, obsecro, quae egi expenditote, ad ea ipsa quae mihi obiciuntur spectantes : quae mecum facientia legati mei vobis deferent diligenter auditote : haec si cum eis omnibus quae Lentulus egit conferetis, tum demum ea vobis decernere

continget quae et summa dignitate praeditos deceant et erga totam civitatem iure iurando obstrictos, cuius vos duces, vos custodes et deorum immortalium et hominum voluntate estis constituti. si quid oculis vestris caliginem offundere potest, id procul a vobis removete. vestrae ipsorum saluti uxorumque ac liberorum, rei vestrae libertatique magno animo ac viriliter consulite. ne misera haec civitas pereat, cuius in vos oculi intenduntur, videte : depellite ab hac eorum avaritiam qui damno vestro se extollere cupiunt, decutite ab horum cervicibus tam miserandae iugum servitutis. nolite permittere ut hunc in modum posteris semper nostris conquerendum sit, quae bello parta non nobis tantum maiores nostri sed sibi quoque iura legaverint, ea propter nostram animi infirmitatem se perdidisse et iniquam simul peregrinorum dominationem esse perpessos.

## CLXXXV

Alterum et his contrarium, nec tam re quam specie dissimile, genus est eorum qui moderatos se appellari volunt. qui, nisi fallor, totam hanc tam praeclaram rei publicae, quae nuper novata est, compagem probant, scelerum tamen, per quae parta est, atrocissimum quodque valde improbant. fieri posse, credo, arbitrantur ut sine fraude quis decipiat, rem alienam sine iniuria rapiat, sine vi omnia evertat. demere volunt consulibus fasces decenter, extorquere rerum gubernacula temperate? quid? quo in numero ponendi sunt? scelestissima consilia, impar inceptis animus : probi non sunt, sed nullo robore, nullo consilio aut ratione improbi : non voluntas eos ad magna struenda scelera, sed vigor animi ac vires deficiunt.

## CLXXXVI

Sed magis etiam mirandae mihi voces exaudiuntur eorum, qui nihil aliud quam inermes nos hostibus aut obiectos

putant aut obicere volunt. sic enim loquuntur: 'horum quae sit in scribendis libellis sodaliciisque concitandis diligentia compertum est: si quid contra scripseris dixerisve aut egeris, currentem, ut aiunt, incitaveris.' quae quales eos ostendat oratio videte. quod magnopere mortalibus profuturum sit scire se profitentur: scire autem alterum nolunt nisi lacessiti, irati bene faciunt: Proteo similes cum multis propter multa videantur, hoc certe cum Proteo habent commune, quem fama fert numquam nisi vim adferenti vaticinatum esse. sed haec qui dicit, optimos homines non ea, quam meriti sunt, laude adficit. non haec eorum est taciturnitas. quod si tacuissent, dubitari potuit utrum contra privatorum non in lucem prolatas sententias palam esset de eiusmodi re disputandum: disputabatur autem quo ex fonte nata quo iure niteretur ea quae in fascibus ac securibus est auctoritas. sed quoniam et celeriter grassatos satis constat et eo progressos quo res et tempus sinerent, hoc scilicet quaeritur an nobis idcirco tacendum fuerit ne lacessendo vel atrociores redderemus.

## CLXXXVII

Neque te fallit, opinor, Demetri, nullas in re publica partes quicquam posse nisi dux adsit virtute et constantia praeditus, studio in suos, audacia. regias vero partes aut ducere ipsum regem oportet aut aliis utique ducentibus strenueque et fortiter agentibus operam dare et obsequi haud gravate. vobis autem princeps est et optima quaeque cupiens et optime moratus: verum tamen qui ut volentibus imperaturi educantur lentaque ac facili dominatione fruituri non eo ingenio solent esse ut aut carcerem effringere, si forte in vincula coniecti sint, aut formidinem inimicis, amicis constantiam inicere possint. huc accedit ut uxorem hic liberosque praebuerit inimicis obsides. cuius igitur sic res se habent, minime mirum est si nihil efficere potest: illud omnia perpendenti magis est mirandum, inter tot civitatis proceres ne unum quidem

inveniri posse qui simul bellicae artis sit peritissimus, simul vel togatis vel militibus acceptus sit multosque qui sectam suam sequantur habeat.

## CLXXXVIII

Cum ita regi vires essent quaesitae, ut ceteris demerentur, ita devincta ad regem civitas ut alia vincula solverentur, evenit, ubi primum ruptum est hoc unum inter principem populumque vinculum, ut tota rei publicae velut dissuta iaceret ac dissipata compages. nusquam satis roboris concordiaeque erat, quod aut regi subsidio esset aut primoribus aut pontificum collegio. nam praestantia quidem ingenia deorum quodam beneficio praeter opinionem civitatibus contingunt: ibi proveniunt, ubi minime speraveris: ubi ad ortus eorum idonea omnia videas, ubi saltem ea valde desiderari, deficiunt. vestra autem in hoc mihi posita esse salus videtur ut et velint et possint finitimae civitates auxilium ferre. qua de re nihil certi augurari possum. velle eas ac posse nec scio nec quicquam, ne tantillum quidem, cur ita putem dispicio. interea novarum rerum auctoribus ex diuturnitate robur accrescit, rebus prospere gerendis fidem sibi conciliant.

## CLXXXIX

Illud autem oportet cogitemus, non nostri tantum causa nos ea tolerare quae ante nos nulli toleraverint. nam nobis quidem ipsis ut salvi simus praestandum est, rem nulli non gravem: sed honestius aliquid et excelsius hoc tempore a populo Romano postulatur. providendum est saluti nostrae contra eos hostes, quorum insatiabilis paene erga hanc civitatem est malevolentia, sed ita providendum, ut in causa tam deis probata alia quoque nobis spectanda, alia molienda esse existimemus. in omnium gentium naufragio om-

niumque miseria, hanc nobis iure laudem vindicamus, quodcumque cupidus ille dominandi dominatuque potitus effecerit, usque ad hunc diem id omne nos aspernatos: celsior illa ante oculos esse laus debet, non nostrae tantum nos saluti cavere, sed aliis quoque gentibus, quas durissima nunc premunt imperia regnantium, documentum praebere quantum, si operam det, libera civitas possit, et illud ostendere, esse saltem angulum terrarum ubi colatur adhuc et sancta sit libertas.

## CXC

Nolite tamen arbitrari, Patres Conscripti, eiusmodi nunc mihi virtutes mirabiles videri quibus victoriae reportentur, fines imperii proferantur, mittantur sub iugum hostes. quod si is, penes quem nunc summa rerum est, prospero tantum proeliorum exitu felix esset, haud tantopere me ingenium eius commoveret: eo enim humanitatis hoc saeculum pervenit ut qui dextra plurimum possit, eum non modo multis inferiorem homines putent sed paene ut humani generis hostem, ut decet, detestentur. eam in sene principe virtutem nunc ante oculos habeo, quae praecelsior sit illa gladiatoria fortitudine, ad quam difficillime perveniatur, quae ex virtutibus regiis minimum plerumque ferat laudis, plurimum mereatur: iustitiam dico eam, qua in rebus iudicandis neque asperitati locus sit nec lenitati. omnium haec virtutum difficillime a rege exercetur, cui permissa est ignoscendi potestas. omnes enim homines ipsique adeo tyranni, nisi forte odio vel amore rapiuntur aut sibi ipsis consulunt, in clementiam propensi sunt. ad ignoscendum enim ipse fert et fertur animus: huic morem gerimus, ab hoc inlecti quod nobis ipsis iucundum sit sequimur potius quam quod sit rei publicae salutare. qui rationi, non animo obtemperat, qui quod populo sit profuturum mavult quam quod sibi in praesens gratum sit, quali medius fidius ingenio praeditus esse debet! quanto populi amore, quanta cupidinum omnium frenandi facultate, quam subtili habilique iudicio!

## CXCI

Neminem esse credo, quamvis sit de patriae salute incuriosus, quin rerum nostrarum eum iam esse statum fateatur, sive ob effrenata partium studia sive ob paucorum arbitrio permissam rem publicam, ut et maxima ingruat formido et roboris ac sapientiae quicquid in nobis reliquum est adhibendum sit. nam populi iniuriis accedunt contumeliae: neque negleguntur tantum querelae, sed vi atque imperio compescuntur: quae autem maxime ne perferrentur deprecati sunt, ea omnia regis haud incerta voluntas rata fecit. eiusmodi in discrimine quis qui probus sit tacebit, quis quiescet? nam sit alius alio ornatior dignitate, opibus locupletior: quod ad iura ac libertatem adtinet omnes sumus pares. quoniam enim Angli nati sumus, haud minus tenuissimo civium quam amplissimo et vetere gente orto defendendae sunt leges tamquam suae, tamquam sua sustinenda respublica, pariterque debent omnes in hoc incumbere, si quid ingenio valent, si consilio ac prudentia res regere, si manu ac viribus perficere possunt. optimum autem exemplum ipsa haec urbs praebuit: quod haud dubito quin tota sit imitatura civitas. nam sicut in praecordia coit sanguis generosus atque inde per venas omnes corporis diffunditur, sic ex hac urbe fortis animus patriaeque ipsius, ut ita dicam, voluntas, robur, sanitas ducenda est. iam tandem suam causam cives universi defendant oportet; quos equidem confido sui sibi roboris conscios, officio suo fungendi cupidos non patribus ullis, non regis consiliariis, non regibus ipsis ea quae nascentibus contigerunt iuraildituros.

## CXCII

Haec cum ita sint, Quirites, spero tamen illud mihi obici non posse, in margines extremos ac velut lacinias imperii nostri tantum nos impendisse curae ut res domesticas

neglexerimus. quod si ita esset, magnam certe culpam sustineremus: nullum enim fuisse tempus credo, quo magis ad vigilandum et cavendum res intestinae adhortarentur. plures in dies litteris imbuuntur: qui autem multa sciunt, nihil bene sciunt, ei fere solent esse inquieti. increbrescit mos apud litteris imbutos longinqua et vix ipsis satis intellecta optandi expetendique. qui carent litteris, qui agris colendis occupati nullam mittunt querimoniae vocem, vereor ne, quo tutius agellos suos possident, tanto magis in aes alienum incidant: obaeratis autem neque bene esse potest nec possunt placere praesentia.

Itinerum per provinciam mirum quantum crevit celeritas: quae olim aliam ab alia regionem seiungebant, locorum longinquitas eundique diuturnitas, tolluntur, adeo ut si aliquorum inritantur animi, cito et finitimi deinceps concitentur, sicut fluctum videas non in obstantia frangi, sed per planum mare eundo vires acquirere. iam omnis ordo hominum fit auctoritatis impatientior, sive agoranomi sive proconsulis ex consilii sententia res dirigentis. undique novae exortae difficultates, undique novi velut nova remedia postulant morbi: quibus minime hercle mederi potest is qui civitatem institutis moribusque orientis medullitus imbutam sic prorsus tractat tamquam caelo sub nostro, solem versus occidentem nata sit et educata.

## CXCIII

Tu vero, Catule, vel praeclariore nos exemplo docuisti quomodo quis parvo beatus esse possit. nam non civitates solum immemores esse beneficiorum solere cum in tempore intellexisses, etsi et potestatibus et imperiis maximis gerendis eras idoneus, non tamen aut togatus aut militiae in summum eniti voluisti sed id unum ante oculos habebas ut, quantum qui maxime posset, posses et ipse patriae, si advocarere, vel ferro vel consilio subvenire. quod ad cetera adtinet, coli diligique prudens maluisti—colebant autem non provinciae

tantum ubi habitas incolae sed omnes quibus te nosse contigerat—quam apud regem in gratia esse, erga bene merentes aut iniquum aut saltem immemorem futurum. nam leporem et urbanitatem morum qui consequi vult versetur paullisper in regio illo coetu necesse est: vitam ibi degentibus nulla non probitas tabescit: fit enim ut vir bonus, velut in macello quadruplatorum pleno, primum decipiatur, mox damna sua non aliter recuperet nisi ipse alios decipere didicerit: facile tandem ei ex difficili fit subdolum risum ridere, ut in fraudem inliciat: captat aures eo sermone quo dum alteri blanditur alterum prodat. sed est tanti spectatorem ad tabulam adstitisse, etiam si alea ludere ausurus non sis, ut tesseras subditivas aliquando agnoscas: neque eum laudo qui regios coetus numquam noverit sed potius qui satis notos et perspectos reliquerit. tu, Catule, secessum tibi elegisse iure dicaris neque antea elegisse quam commoda cum incommodis, graviorem scilicet ex alto ruinam, satis tecum pensitavisses.

## CXCIV

Ecquis inveniri potest qui multitudini minus quam ego concesserit? non identidem cupientibus obstiti? non de ea re, quam maximi faciebant, me ab illis seiunxi, non multis verbis demonstravi, ut mihi quidem videbar, quam inane quam futtile esset ius hoc clam ferendi suffragii? quis tum quoque cum studia partium maxime flagrabant aut minus de via sua, ut illis morem gereret, decessit aut minus quod illi sentirent sibi quoque esse sentiendum putavit? sed praeter plebeculam et populus est. de medio ordine civium loquor; quos μέσους appellant Graeci, de centum, de quingentis milibus proborum hominum, quo ordine nullus in civitate ordo aut frequentior est aut locupletior. fingamus enim venire sub hasta villas omnes ac praedia vestra, Patres Conscripti, tot venationes tot saltus lateque patescentes campos, venire autem ea pecunia quae annis quinquaginta

ex eis perciperetur: quota pars haec summa eius summae est quam conficiunt eorum, quos μέσους appellamus, coacervatae solidaeque divitiae? apud quos eosdem est si quid Romae a Romanis sobrie ac prudenter sentitur, si quid acute honesteque intellegitur. qui etsi circuitum verborum ad finem deducere et dicta dicere nesciunt, graves tamen homines sunt recteque iudicant quodque maximum est instabiles levesque non sunt.

## CXCV

Cum erga neminem, erga nullos qualem praestare se debuit praestiterit Curio, illud etiam huic quam adumbrare conor imagini adiciam ut sceleribus quae in rem publicam admiserit privata quoque neque ea exigua accesserit pravitas: ut quantus amor patriae tanta in eo probitas fuerit, tantus pudor quanta iurisiurandi fides. solet esse laudator sui gaudetque se laudando. has ego laudes his verbis rumpam atque intercidam: erras, Curio, vehementer erras, si quod summa vitae tuae nequitia fuerit summam quoque et excellentem tibi indolem fuisse arbitraris: qui in senatum immissus ab hac consuetudine auspicabaris ut erga omnes asperum, erga omnes immitem te praeberes, id quod propter virtutem tibi licere, sicut Catoni licebat, existimandum erat: obtrectator omnium, ad omnia latrator cum extitisses, repente tacuisti, tacuisti autem annos septem idque cum maximis de rebus ageretur, accepta pecunia tacuisti. Servilio autem ac Lutatio consulibus, cum id agitabatur ut cum istis artibus, ista omnia miscendi peritia venires, locum in senatu deseruisti, de abroganda lege Publilia, de supplendo aerario dimicare desiisti, quibus de rebus contionari eras solitus omnes abiecisti, numquam id temporis in curia fuisti: volitantem te in atrio Concordiae, sicut in sepulcris lemures inquietos, interdum videbamus, sententiarum perrogandi tempus ideo aucupantem ut cum perrogarentur nusquam esses: videbamus ea loca, ubi enitueras, devitantem, sceleris conscientia oppressum: inter-

dum praeter extrema subsellia ferebaris sicut ales Esquilinus, torvo obscaenoque aspectu, voce funebri, in praedam devolaturus. his te rationibus gerebas, quae viri honesti non erant, donec conficeretur id negotium quo aut venires aut ad improbos et rei publicae eversores accederes.

## CXCVI

Ille summa sollertia iudicum animos a verborum argutiis ac translaticio crimine ad verum crimen abducit erigitque. 'ergo' inquit 'qui nummos principis imagine signatos adulterabit, denarium, inquam, sestertiumve, is laesisse maiestatem principis habebitur, ille non habebitur qui multo peiora concupiverit animosque civium ita corruperit, ita notam eis servilem impresserit ut nihil principi praestare officii, nihil rei publicae possint? obicientibus autem, quod verum erat, novum esse crimen, 'ne supplicii quidem' inquit 'novum genus erit: multa enim indicia sunt, quibus inde a Romuli temporibus legem hanc deducas: quod si annos iam ducentos et quadraginta in neminem ex hac lege animadversum est, non ideo lex non fuit, sed nemo tot annorum spatio extitit tam audax ut ista facinora perficeret.' ita semper disputat ut ad summam rei publicae commodumque universorum omnia revocet: 'qualibet in civitate' ait 'reus est maiestatis qui formam rationemque quae constituta est rei publicae labefactat. nam leges, per quas cetera salva sunt, inutiles profecto ac vitiosae essent si omni subsidio carerent quo servare se ipsas ac tutari possent.'

## CXCVII

Sed me adloquens Iunius 'mihi crede' inquit 'quid egerint homines, non quid de se profiteantur me spectare, cum probi sint an improbi scire cupiam.' putat iste medius fidius, quae ipsi inopia est modestiae, eam esse apud legentes sagacitatis. ipsius enim probitatem quo tandem pacto metiemur? qua in trutina ponendus est is qui velut in

insidiis delitescit? ad quem autem haec loquitur? nempe ad eum me, qui, quoties ipse interesse rebus palam gerendis potui, neque dixerim quicquam neque fecerim quod non simplex esset et apertum et manifestum omnibus. non ego, sicut iste, in cubiculo me occultavi ut e fenestra ignaros iaculo peterem: non e longinquo pugnae spectator esse volui sed inmisceri palam pugnantibus et capere partem periculorum. quod a quoquam obitum est periculum quod ego non obierim? num delatio, num accusatio, num vinculorum periculum et mortis? quemnam ego laborem, quem sumptum detrectavi? a qua me voluptate non volens abstinui? at iste, si dis placet, cuius nulla res gesta conspicitur, non verbis sed factis probitatem cuiusque se dicit metiri, cum ipse nihil sit nisi verba eaque ignoti et ex tenebris non prorepentis.

## CXCVIII

Iam vero, Quirites, cum coram vobis, coram civibus meis dictator ultimo hoc tempore processerim, cum eum eiuraturus sim magistratum neque umquam postea resumpturus qui multas mihi angustias expediendas, multos subeundos labores, multam prave agendi licentiam adtulerit, gravissima saepe officia imposuerit, cum penes me iura aliena, res, interdum etiam libertas esset, quibus in rebus quid prorsus rectum esset factu, non semper, etsi cupiebam, facile poteram discernere: eum, inquam, magistratum, in quo magna mihi commissa fuerint atque ita commissa ut facile fuisset commodis privatis improbisque consiliis inservire: haec cum ita sint, quaero a vobis rogoque, Quirites, quod meo iure mihi quaerere videor—nam, cum nuper suffragiis certaretur, iactae sunt voces de probitate mea dubitantium—cum diu, ut dixi, rebus vestris praefuerim, quodcunque a me est erratum—neque dubito quin saepius erratum sit—ecquando mihi me consulentem, ecquando meas res agentem aut lucrum ullum captantem deprehendistis? simplicibus hac in re verbis utor, sicut ille apud Accium Tiresias:

en ádsum, si quis quód habet crimen, dícito:
quem défrudavi? quémnam adfeci iniúria?
quoiá manu me scítis ditatum ímprobe?

## CXCIX

At in re publica gerenda quidnam hic, inquiunt, deliquisse dicitur? cuius facinoris reus est? nam, nisi aliquid accidisse dicatur incommodi, aliquid sceleris esse commissum, nullam haberi quaestionem oportere. videte, Patres Conscripti, quo in loco res nostrae et domi et foris sint, quibus in miseriis, quibus in angustiis versemur: non haec satis sunt ut quaeri oportere existimetis, etiam si nihil huic nominatim obici possit sceleris, nihil in se culpae admisisse arguatur? iacet confossa vulneribus, ne dicam moribunda, res publica. id effectum est ut rumpi ab imparibus pacem veri similius sit quam inter pares servari. ergo haec accidisse quidem fatebimur, quaerere tamen nolemus utrum casu acciderint sinistro an male gesta re publica an prava adeo eius voluntate qui rebus nostris domi praefuerit? ante ictum foedus Traiectense credebant universi, si paucos annos pacem habuissemus, fore ut aeris alieni quod contraxissemus maiorem partem solvere possemus. quid igitur? iam tricesimum paene annum summo utimur otio, bellum utique nullum gessimus quod non ultro a nobis ipsis lacessitum esset: pecuniam tamen haud multo minorem debemus quam icto foedere debuimus. non igitur laborat res publica? non quibus de causis laboret inquiremus?

## CC

Verissimum sane illud, Quirites, dixit praetor Cornificius, quicunque in libera hac civitate et omnia perspiciente rebus publicis gerendis enitescere velit, ei hoc subeundum esse ut mores factaque omnia neque mediocri investigentur diligentia nec leni trutina expendantur. quod nescio an mihi haud

minus acciderit quam ceteris qui in re publica versantur. verum tamen, Quirites, qui iniquis rumoribus iactatus est, solent in eum aliquando ita ut ratio constet pro malis bona cumulari. quae si mihi citius quam multis aliis contigerunt, si quod cogitare me vir amicissimus hortatur cogitare possum, quae vos erga me sentitis eadem sentire civitatem universam, si et ab amicis talis habeor qualem me esse volui et qui in re publica adversantur omnia quae fecerim honesta utique cupientem me fecisse arbitrantur, tum vero felicem me praeter alios, sicut a praetore eodem et viro amplissimo dictum est, existimare debeo.

cuius rei causa, Quirites, non ex alto repetenda est, haud enim alia est quam ut quod patriae quis a se deberi honeste crediderit id praestare conatus sit honeste, id unum ante oculos habuerit: quod si quis constanter fecerit, licet singula identidem iniquius tractentur prout gratia quisque et opinione huc vel illuc inclinaverit, in universum tamen quae egerit laudabunt profecto qui probi ipsi sunt atque honesti. nam quibus praecipue rationibus id quod velis consequi possis, saepius, credo, ut homo, parum videas: si tamen id ipsum iustum ac laudabile erit, in hoc oculos intendent aequales, in hoc posteri. ego vero illud mihi semper propositum fuisse fateor, quod populi Romani magistratibus recte proponi censeo. dicam autem uno verbo. solent quidem hodierni philosophi, quod sane sapientium est, Terentianum illud repetere et humani nihil a se alienum putare. ego autem erga homines universos haud minore me studio efferri credo quam qui maxime φιλανθρώπους se esse volunt: verum tamen in rebus publicis gerendis angustius aliquid mihi obversari non infitias eo: quid populi Romani intersit, id unum id ante omnia me spectare.

## CCI

Eam in re publica rationem suscepi, ea ut civis, ea ut homo sentio, ut non possit non valde mihi odio esse ista seditio,

quid actum sit reputanti et quo animo, quae inde manaverint, quale denique praebuerit ceteris civitatibus exemplum. qui apud regem obsequio valuerant cunctaque quae donare poterat ad se trahendo multas illi difficultates, multam invidiam conflaverant, eos vidi his angustiis, hac invidia ita esse usos ut potentiam eius everterent ipsumque in vincula conicerent; quodque fieri solet, ut qui adulator fuerit proditor existat, cum beneficiorum essent immemores, ut patriae memores eos se venditare intellexi, operam eos navare sensi ut is ordo subverteretur cuius ipsi quod alumni essent idcirco opibus ac potentia gentilicia floruissent. his ducibus, hominibus omnium nequissimis, levem plebeculam ita concitatam videram ut veterem rei publicae formam funditus tolleret, cum hac salva et protulisset fines patria et artius inter se iunxisset et hominum frequentia opibusque eo usque crevisset ut vel metuenda finitimis esset: quae rei publicae ratio quam valida fuisset, ipsi tot errores, ipsa vitia rei publicae populique documento fuissent, cum quominus haec fierent prohibere non potuissent. hanc illi ad eruendam ita aggressi sunt ut, cum iura gentium se defendere simularent, ipsa societatis civilis fundamenta labefactarent.

## CCII

'Huic' inquit 'sententiae, Patres Conscripti, ita quosdam opitulatos intellego ut si in eam plures iverint nec de vita me ac capite nec de re periclitaturum esse dicant. quid? leve ergo istis videtur, integer sim an infamis? nullane mihi inuritur nota qui, postquam quadraginta annos unus ex vobis fui, reus nunc sim apud hunc ordinem? cuius ad posteros cum ignominia ac dedecore nomen tradatur? ut dicam quod sentio, valde commoveor cum quaeri de me nominatim cogito: quamquam hoc quoque cogitare possum, ita de hac re sensuros homines prout inter se constantia obiecerint accusatores, prout lucri gratiaeque suspicione caruerint. qui si certa quaedam ac dinumerata obiecissent, mihi quoque ad singula

respondendum esse duxissem. si autem imbecillo principi aut pravo nihil non obtemperavissem procurator, nihil aliud excusarem nisi dicto me paruisse. cum vero mihi contigerit ei principi operam dare qui nec desideret prava ministeria nec prave suadenti cessurus fuerit, quae ipse egomet egi purganda mihi ac proferenda sunt. contra hos autem accusatores satis me illud confirmat quod insontem me esse scio. accedit et illud solacium, quid velint quid possint reputanti: nefanda enim dictu si peccavissem, nec studium eis profecto ac voluntas ad accusandum deest nec qua omnium in haec oculos intendant sollertia. sed quoniam nullius mihi flagitii sum conscius, ne obici quidem iure ullum posse confido.

## CCIII

Cives meos equidem non pertimesco, quorum insignis sane prudentia fuit, si quales audiverint contiones reputaveris. neque autem hos metuo et ab Hortensio idem, viro amplissimo, dissentio qui duces eorum putat esse metuendos. tritus iste locus est apud annalium scriptores, de ductoribus plebis. ubicunque studia volgi intumuerunt, ibi eos invenias, tam similem autem alterum alteri quam fratri fratrem. quorum nomina tamquam in flumine natantia defert quidem ad nos diuturnitas temporis, ita tamen defert ut levia et spumae similia ferantur nec concutiant saxa sed tantum adspergant. eosne ego homines pertimescam, Patres Conscripti? illud vero sollicitudinem mihi inicere fateor, quod video viros haud paucos, clarissimis maioribus, summa morum integritate, locupletes ac satis prudentes, eo trahi rapique—non enim persuaderi eis nedum ratione haec probari—ut quae plerisque eorum re vera odio sunt, ea suffragio suo adiuvent. regum dominationem fides sustentat, optimatium pudor, plebis concilia virtus civilis et propensa in patriam voluntas. quae si exaruerint, multo certius exitium civitatis augurari possis quam si crinitae fulserint stellae solve aut luna defecerit.

## CCIV

Nihil istae leges nisi efferare populum nisi morbo inficere possunt inicias catulo catenas : ex miti immitem ac ferum reddideris. inicias populo : non idem feceris? quaenam igitur adhibenda est medicina? unam illam novi, ut vincula solvantur : medebitur, medebitur, inquam, utrique libertas. abrogate has saevarum legum ineptias, sit, qualis fuit qualemque esse decet, ad lenitatem conversa rei publicae compages : brevi tempore evenire quae solent videbitis. sunt autem qui censeant, a gente finitima auxilium petendum non fuisse : male Catulum ac Lepidum hanc rem tractavisse, accisam ab eis libertatem nostram. qui non ut ne nostris legibus res nostrae gererentur intercesserunt, sed ut ne prave et in perniciem nostram : suam rem agi putabant ; cives enim Romani erant, suo iure hanc ad principem querelam deferebant : 'rem publicam Hibernicam, Caesar, procuratores tui in peius trahunt, populum servilem, venalem curiam faciunt, omnes in furorem concitant.' haec qui improbat, mihi quidem videtur ad extremam infimamque turpitudinem devolvi, cum eos praesertim adlatret, quibus ad salutem nostram obtinendam non defuit virtus, cum nobis ipsis defuerit. o praeclarum egregiumque amorem libertatis ! o decore graviterque efflagitatam pereundi licentiam !

## CCV

Heri vesperi irruperunt in Ravennam vigiles, saucium praefectum vestrum ferentes : quocum paullisper collocutus veniendum mihi existimavi si forte fluctus hos ante possim compescere quam audita re Romae aliam Senatus medicinam adhibeat. ego autem ipse venio, non alius quisquam, quod nescio quomodo litium componendi studiosus sum. scitote ergo novo modo in vos a me saevitum iri, ut neque laqueus cuiquam nec securis intendatur, nullius bona publicentur, nemo solum vertat. hoc unum postulo ut quod vobis pla-

cuerit faciatis. quid autem placet? carere omnino re publica ac legibus? an cum rem publicam constitueritis, obtruncari eum, qui huic praesit, ut primum ex vobis quilibet vel iniuriam sibi inlatam putaverit vel ad silvestrem illam, quae ante leges urbesque conditas fuit, iustitiam reverti voluerit? eone rem deducere placet ut ceteros homines aliquando oporteat, coniunctis in hoc viribus, tamquam ferarum aliquod latibulum vos opprimere? nam quod ad ultionem ob hoc factum sumendam adtinet, ipse mihi qui vulneratus est coniectura se adsequi negat quis vulnus intulerit, idque tam vehementer adfirmat ut haud ignarum eum esse appareat cuinam ex familiaribus heri multa nocte aditus ad se patuerit. non igitur poenas sumptum venio sed ut quid deinde facturi sitis animi causa comperiam.

## CCVI

Consentire vos hac in re dicitis. ipsa autem consensio tanti est, ut si meo unius damno parta esset, valde vobis propter hanc fuerim gratulaturus. ego vero concordes vos fore sperabam, non tamen his rationibus obsecutos, sed longe dissimilibus, quae et de hac re patres et de aliis nonnullis ad consentiendum adduxerunt. quae autem illae fuerunt? ut mederi patriae vulneribus summo studio omnes cuperemus, ut ad derivanda ea mala vel saltem minuenda quae ex eis quae nuper egimus in rem publicam fluxerunt nihil non faciendum arbitraremur. mihi quidem sic videbatur, fore ut ei qui haec consilia studiose sed perperam foverunt, qui praepropera festinatione malorum fuerant auctores, meliora nunc amplectendo malis his remedium adhibere pari studio niterentur, illi autem, quibus semper displicuerat hoc tot calamitatibus plenum consilium, quae semper praevidissent ac procul habenda censuissent, ea libenter sublevarent. sed iratis, credo, deis invaluerunt et Formiis et aliis in locis prioris illius consilii fautores, qui vero adversabantur vel propter hoc ipsum in eandem adducti sunt sententiam, quod nondum

eventum illud satis felicem habuerat. huiusmodi concordiam fateor mihi non admodum placere.

## CCVII

Sed quo tandem ore, Patres Conscripti, qua fronte vos hoc tempore fuco et illecebris eloquentiae decipere conarer? non eorum legatus sum, non ea mihi agenda est causa, non ea ipse mente hic adsum. hae blanditiae quo plerumque tendant satis compertum habemus, Patres Conscripti: adhibentur ad captandos iudicantium animos, ut homini potius quam causae fiant amici: adhibentur ut religionis et officii iudex obliviscatur. in causis vero maximis et gravissimis, talibus praecipue qualis haec est, quis nescit idcirco eas adhiberi ut et in reum potentem et gratiosum mitior fiat accusator et in eis vindicandis quos sceleribus laeserit lentior? amici omnes omnibus: sine ira disceditur, tamquam verbo non re dissentientium composuerint litem vel rixam nescio quam epulantium. populi interea, toti, inquam, populi gravissimis iniuriis obruti, nulla iam spe relicta, surdas precibus aures et sero audituros deos iteratis planctibus querimoniisque incessunt.

## CCVIII

Iam vero quoniam de ipsa rogatione quae mihi dicenda erant dixi, de rogationis auctore pauca si permittitis adiciam. quem quidem ea indole esse video ut nihil praeter facti sui conscientiam expetat mercedis: sed eae iactae sunt in illum contumeliae, eae voces, quales in hoc ordine numquam antea audivimus, ut paucis mihi respondendum sit, non tam ut illi satisfaciam quam ut animo obtemperem meo. quid autem dicam? vindicata esse a servitio tot milia hominum quot nemo unquam vindicaverit? decussam a tot hominum cervicibus eam dominationem, qua nulla unquam fuerit crudelior? quid? nostris hoc apud posteros temporibus

gloriae fore, haec ab eo suscepta fuisse qui et ingenio par oneri foret et voluntate, cui nec ad intellegendum sentiendumque humanitas nec ad suscipiendum animus nec ad tutandam rem tantam, immo vero aleam ac pericula tanti beneficii, eloquentia deesset? nec caeca haec virtus est; nullis ille in tenebris versatur: novit res atque homines. videt, videt, inquam, quales ingredienti sibi nectantur insidiarum laquei et ab inimicis et a gratiosis, quam infida plebs et prava suadentibus obnoxia. quae cum videret, de otio potius suo periclitari voluit, de salute, commodo, potentia, de illo denique ipso, quem tanti faciebat, populi favore, quam non eis quos numquam oculis vidisset opitulari.

## CCIX

Quid? nonne hoc eius iter clarissimus quisque mortalium ingressus est? nempe sordes obiciunt, indigna eum concupivisse insimulant. veniat illi in mentem, quod scio esse venturum, neminem iure inlustrem fuisse quem non insectata sit invidia, nec Romanorum veteribus institutis tantum, sed rerum quoque natura vitaeque universae condicione hoc sanciri ac firmari ut in triumphantem probra et convicia iactentur. quae cum intelleget, facile is, cui nihil fide ac pudore sit antiquius, obtrectari se in tempus patietur. beneficii auctor est maximi, quantum quotocuique contigit hominum ut idem vellet et posset? tempore igitur quod nactus est perfruatur, det animo habenas bene facere cupienti. summo in fastigio collocatus est, omnium in eum coniecti sunt oculi. vivet fortasse diu, multa fortasse ac praeclara perficiet: sed hoc culmen, hic vertex est: praeclariora quam hodie fecit facere non potest.

## CCX

Quod si nisi sumpto in manus stilo fieri non potest ut non ipse se conficiat animus inquietus, illud potius, sodes, tibi

suaserim ut, quoniam bono publico a rerum gubernaculis recessisti, in id otium insumas quod et plures habiturum sit lectores et, si recte tractetur, pluribus sit profuturum. nam si historiam scripseris quaeque egeris his annis enarraveris, haud scio an civibus tuis id praestiturus sis, quo nunc maxime opus est, ut insigni exemplo moniti inter probitatem et pravitatem quantum intersit intellegant. evolvatur libellus: cum lucro forsitan nostro discamus, quomodo civitatem magnam et multarum gentium dominatricem pauci homines, dum sibi ipsis opes et potentiam quaerunt, paene pessum dederint; quomodo, dum patriae se consulere, rem honestam, simulant, factiosi quidam et nihil una spectantes, nihil una sentientes nisi ut commodis suis inhoneste consuleretur, omnia quae ante essent professi infitiati sint, ab omnibus quas tam diu prae se tulissent rationibus discesserint; postremo, cum civitatem diripiendo aliquatenus essent satiati, se ipsos, ut fit, diripere invicem inceperint, infirmiorum et, ut facile crederes, integriorum facta sit iactura, pravior quisque et audacior superfuerit; quomodo tu ipse denique, Vatini, velut eiecto ex istis Delphis deo tripodem et oraculum novus Apollo occupaveris.

## CCXI

Quod sic epistulam exordior ut erravisse me confitear, spero tibi id indicii instar fore, nullis me dignitatibus, quas adhuc gesserim, sic ut tu de me auguraris esse mutatum. quod si menstruum silentium mihi apud te nocuit, hoc saltem adtulit boni quod, quoniam neque acerbe me obiurgas neque non optime benevoleque suades, persuasum mihi habeo esse adhuc aliquid in te prioris erga me amicitiae; qua de re eo magis confido quod tam iucunda uteris loquendi libertate; hanc amicitiam ne mihi ipse praecidam, nihil faciam propter quod magni eam me non facere suspiceris.

di faxint ut rei publicae non obsit quod tantae in ea meae partes sint: si profuerit, si recte patriae consuluero, tum demum ornatam, tum beatam vitam meam existimabo.

## CCXII

Non adeo sum ipse expers doloris ut audito dolore alieno non condolescam, eius praesertim quocum mihi et dolores et voluptates maxime debent esse communes: quamquam haud scio an dis sinistris robur hoc mihi corporis obtigerit; nam, cum neminem diligam cui non multo magis in lubrico sit valetudo quam mihi ipsi, venit in mentem, quod utinam ne veniret, aliquot post annis ita fortasse superstitem me futurum ut et consilio ac benevolentia paucorum caream qui me olim dilexerint amici neque novorum adsciscendi aut spem habeam aut, fatebor enim, voluntatem. salvum te has litteras spero deprensuras teque hos expertum dolores in futurum ab umbratili ista vita saepius discessurum, quae hunc tibi, nisi fallor, morbum adtulit.

## CCXIII

Plus tu rebus et hominibus interes quam meae me res interesse sinunt. rem publicam tibi curae esse confido, famam tibi meam negaverim non esse curae. fateor equidem, cum per hos menses in senatu essem, fortasse nimis saepe, nimis multa de eiusmodi rebus verba me fecisse quae, cum a paucis intellegantur, paucos detineant: scio me fortasse nimis saepe, nimis diu locutum. sed quod ipse senseram, facis tu quidem ut sentiam magis, non ea egisse me quae famae meae nocuerint: hac de re quod tu dicis, amici inimicique dixerunt. cum rursus convenient patres, veniam equidem in curiam non eo animo quo ineunte hoc anno accessi.

## CCXIV

Milia passuum duodecim de via digressi libenter medius fidius Praeneste devertimus. diem totum pluit, ut apud Lucilium:

terra abit in nimbos imbresque—

viden quam verax sim? de templo Fortunae οὐδὲ γρῦ: ita vivam ut ne videram quidem: ecce tibi alterum Ulixem vel sesqueulixem! reditus igitur via Praenestina, ut et Gabinum lacum videremus et Regillum, ubi olim Castorem ac Pollucem scis mortalibus visos. multa utrimque venerandae antiquitatis sepulcra, multi ductus aquarum:

sed fontes siluere diu, caret alveus unda.

sunt et recentius exstructi duo, opera Pontificum, quorum uterque triginta fere milia passuum currit: alter et aquam illam Virginem hodie quoque Romam deducit et multam locis addit amoenitatem. inde rursus Romam: ecce autem mirifica epistularum εὐπορία vel potius εὐθοινία, inter quas et tuam manum primo obtutu agnoscebamus, litteras praegrandes late spargentem.

## CCXV

Scio equidem quantum obsit fortibus consiliis demissus animus et languescens. quid? tu te putas, si mane decem milia passuum, quot dies sunt, ambules, non ante proximas nundinas de urbis praefectura meliorem spem sumpturum propiusque id et magis ad manum iacere crediturum? nam quae tu narras commoda non nihili sunt. mihi crede, multo magis quam putamus penes nos ipsos est quo se flectat animus: regunt eum ratio et voluntas multisque laborantem difficultatibus sustinent. mihi vero inter vitam publicam et privatam vix medium iter videtur relinqui: qui illam mavult, ceteris mortalibus ut prodesse possit videndum est, si aliquis apud eos existimari volet, neque adeo recusandum quominus nonnullis, qui hanc existimationem iam consecuti sint, obnoxius sit; nam si eos nactus erit qui hunc in modum obtemperanti insultare nolint, haud turpe erit obsequium: sin minus, antehabeat oportet ambitioni pudorem artesque ingenii, quas in publica commoda conferre non licuerit, ad mentem suam excolendam adhibeat.

## CCXVI

Tam iucundae mihi semper litterae tuae sunt ut nihil sit cur quod dixeris vel tacueris excuses. oblectant me quae κατὰ λεπτὸν enarras, oblectarent quae tacere maluisti. nam etsi rem bellicam neque teneo neque valde cognoscere cupio, tamen quodcumque tuum est a nobis non potest esse alienum. qui vero in te congesti sunt honores quamvis minime eiusmodi rerum appetentem magna me voluptate adfecerunt. atque 'ora solvere' ut ait Vergilius 'non umquam credita Teucris,' id est, civibus suis, haud scio an vel iucundius sit, cum apud ceteros mortales Tiresia ipso vel Apolline certior habearis. non continuo egregius est quem sui venerantur. nam ligna ac lapides permultae sunt gentes quae veneratae sint: quae si alio detuleris, contemnentur. sed Iovi Phidiaco Mercuriove Praxitelis si aedem detraxeris, si ipsa simulacra longe avexeris, non ideo ut ne magni habeantur effeceris.

## CCXVII

Nihil hic nisi comitia in ore hominum esse scito, Romae dico, nam in hac Albani montis tranquillitate haud magis mihi obversantur quam proeliorum istorum longinquitates. fore rursus quae fuerint rumor est, emersuros hos velut avem Aegyptium, quem eisdem vel similibus plumis indutum rursus aiunt e cinere splendescere. obsisti Dolabellae non posse videbatur, praesertim cum, quod diu cupiisset, praeturam urbanam adeptus esset. dixerat mihi nudius quartus Cornelia Lepidi, fore ut tribunos haberet sibi obnoxios: neque postea Romae fueram nec quicquam sciebam nisi quod ex actis conradebam. licet igitur has tabellas solvat Theophanes, haud multis de rebus certior fiet.

## CCXVIII

Non Velinam quis, non Ufentinam ferret, non Arpinates ego meos tenerem, nisi ad conciliandam gratiam plus operae,

multo plus, inquam, operae adhiberetur quam hac in re adhibitum est: nunc autem id agitur cuius causa omnia constituta sunt comitia, quod et universi populi maxime interest et uniuscuiusque civium. neque penes ipsum populum, mihi crede, culpa est, quod remisso nunc studio languescunt. non enim hoc a deis, non a natura sic contitutum est ut sine duce, sine ductu consilia capere ac res agere populus possit. prava suadentibus obtemperaverunt. at tum, cum alia nemo suaderet. cum operam qualem debent dederint ei, quos propter dignitatem et opes, propter morum probitatem rerumque peritiam praeesse populo oportet—si tum quoque obstiterint, tum demum erit desperandum, tum suo vitio eos plecti fatendum erit. atque hic iterum a te peto, Q. Catule, ut ne arbitreris me ita a plebe culpam amovere ut in familiares nostros coniciam. minime hercule vero. ea, quae fecimus, fecimus in errorem delapsi, venia illum quidem dignissimum, sed tamen erravimus cum putaremus satis eum praestare qui ventitare in curiam et sententiam rogatus dicere soleret.

Sed 'quorsum haec?' inquies, 'cur nunc maxime? cur mihi?' rem tibi expediam: idcirco, quia nullo non tempore plus tu efficere potes quam alius quisquam, hoc autem tempore id praestare praeter te nemo potest quod mihi quidem maxime in rem esse populi videtur.

## CCXIX

Prorsus ignorabam, quod ad tempus perferendarum litterarum adtineret, tantum esse inter nos loci. litteras tuas nunc demum acceperam A.D. IV. Idus datas: meae quando ad te perventurae sint, quas aliquanto post ex hac urbe dederam, divinare non possum. quod scribis Fidenis tibi manendum esse, doleo—vivi enim sine ullo amicorum commercio vix posse arbitror—cum praesertim hac aestate nobiscum in Graecia non sis futurus. sed feremus ut poterimus quod mutari nequit. saepe equidem Fidenas mente ac

cogitatione revehor. nimirum hoc vita humana habet pessimi, quod numquam ignotum esse quod semel noveris potest. incolas locum aliquem quo nullus in orbe terrarum locus ante quam incolueris minus habuerit illecebrarum. accidit ut inde discedendum sit, discessisse te putas. non discessisti. insequitur, tecum est: quae, cum experiebaris, nihil habere diuturni videbantur, ea in mentem retrahit et fugam tuam ulciscitur. labitur tempus, loci mutantur: non iam sunt, qui fuerunt, nobiscum amici: esse tamen quod fuit videtur, licet exaruerit ac vita careat.

## CCXX

O hominem inter homines praestantem! talem speraveram, neque me spes fefellit. vix de eo dicas, quod de illo, quem et armis et moribus optimum informat, Ennius:

inque viro mitis pudor est et virgine dignus;

grandior ille quam mitior, et inest moribus divina quaedam simplicitas, qualem in nostratibus numquam vidi, viris utique; mitiores autem sunt quam plerarumque, quas quidem ego noverim, virginum. cum aliquantulum ei consili dare ausus essem, negavit se in Angliam venisse ut quicquam *τῶν πολιτικῶν* moliretur: venisse ut gratias nobis ageret quod sibi favissemus, quod et ipse et res Italorum curae nobis fuissent. roganti mihi num per Galliam rediturus esset, numquam se in Gallia pedem rursus positurum dixit: et cum forte dixissem devinctam onere funesto Italiam, beneficio Napoleonis, 'devinctamne?' inquit, 'non praemium ille, non pactam mercedem iam tulit? gauderem ego si ille mortuus esset, ille si ego essem mortuus.' leviusculae hae historiae: sed gratas tibi fore credebam.

## CCXXI

Litteras tuas acceperam, non tamen ita, ut prius rescribere possem quam tabellarius rediret: tu autem quoniam postero die profecturus eras, nesciebam an omnino rescribere tanti

esset: has tamen exaravi, quae cum te fortasse in Britannia nescio ubi deprehenderint inanesque erunt visae, dolebis, credo, et 'itane?' inquies 'trans Oceanum nugas?' aegrotare Varium invitus accepi, sed profuturos credo soles aestivos, profuturum otium. tu quod semper pro explorato habes scripta tua mihi susque deque esse, num ignosci tibi postulas? cur ita existimes quidve ego fecerim cur tanto in errore verseris, id ex meo quidem conspectu 'tenebris nox abdidit atris.' schedas librariorum misisses. audisse te saepius ex me fateor molestos mihi et Suffenum et alios visos: cur adeo te ipsum contempseris ut in hanc te turbam conieceris teque mihi putes illis *ἐνάριθμον* videri, divinare, ita me di ament, non possum. valeant ista somnia: iaceant, inquam, sepulta: sit etiam lapis, qui fuisse ea, non esse viatori in omne tempus indicet! librum tamen quod misisti, per mihi gratum fuisse scito.

Nos ad mare descenderamus, apud Lamias nostros in *Λάμου πτολιέθρῳ* hospites. utinam mecum esses! mare tranquillum, amoeni soles. vale, neve his litterulis irascaris: scriptae enim sunt ab homine tui amantissimo.

## CCXXII

Epistulas tuas omnes quas usque ad A.D. XVII. Kal. Sext. dederas perlibenter, ita me di ament, et acceperam et perlegeram. quod tantos sustinuisti labores dum Ptolemaidem contra lectum improborum exercitum defendis, duce hominum improbissimo, ei rei par nulla umquam fuit neque tuam istam tuorumque militum fortitudinem plus, quam merita est, laudare possent, si una voce laudarent, civitates universae. ego vero et homo ab homine et classi praefectus a praefecto peto ut qualecunque hoc est, quod tribuere possum, laudis et admirationis, id et ipse accipias et eis, quibus imperas, acceptum facias. spero te iam pridem Alexandria potitum actumque de istius audacia: qui ut ipse in Europam redeat, di faxint ut nullis umquam condicionibus concedatur.

Amari te a nobis magnique fieri pro certo habeto : id aliter esse ne quisquam tibi persuadeat. verum eiusmodi meum ingenium est ut ne tantillum mihi detrahi sinam eorum quae mihi Populus Romanus mandaverit; idem libenter amicis cedere soleo, amicorum autem in numero ut te habeam permittas oro meque tui amantissimum mehercule et observantissimum scias.

## CCXXIII

Summas tibi gratias agimus et tuas ob litteras quas A.D. VII. Kal. scripseras et quod a Scipione ad te datas una miseras. quod tam longe ille in Hispaniam processit, vereor ne multis nimis audax videatur : quod vero de pugna Talaverensi maiora veris nuntiasse dicitur, id quidem crimen mehercule dilui posse confido : erunt saltem reo multorum instar testium capta ab hostibus quinque signa ballistaeque viginti. ipse longas ab eo litteras acceperam. Hispanorum de exercitu reque publica vix spei locum relinquit, immo vero omnem tollit, fore umquam ut emergant : mihi autem suadet ut ad se exercitumve suum nullus veniam. nostra igitur in Hispaniam peregrinatio valeto. satis dimicandi nos domi habituros veri simile est, verbis primum, unde (nisi ad alios summa rerum transibit) ad manus veniemus. si ad nostrorum aliquos transierit, spero non unius hominis utilitati potius eos consulturos quam saluti civitatis, sin minus, suffragaturum neminem qui probus sit. si mense Novembri senatus erit, nos Romam : neque te, si in suburbano tuo eris, praeteribimus insalutatum. scito nos tui amantissimos. scribebam Capuae, Kalendis Octobribus.

## CCXXIV

Quod si mea me fallunt auguria, vera sunt eorum qui plus sperant, ἐπιχαρτέον sane, neque minus quam illi laetabor : sin

minus, melius me res meas laturum existimo, si animum ad id ante composuero. quantopere te venturum esse gaudeam, dictu opus non est: neque umquam enim non gaudebo et hoc tempore vel praecipue te desidero. nam sunt quidem alii amici quos diligo et a quibus me diligi credo, sed video eiusmodi incidere posse occasiones, ubi nihil, quod illi suasuri sint, ego sim facturus. qui numquam me, scio, labefacient: neque enim quicquam: sed magnum esset te hic esse, mecum, id quod fore confido, consentientem. eae quales sint occasiones divinare, credo, potes. at enim dicent amici prudentes, nullis me hominibus esse obnoxium: neque profecto obnoxius sum: sed incidunt tempora ubi, cum nullum sit pactum, tamen non ita agere, tamquam foret, inhonestum sit. sed ut sit prorsus honestum, num iucundum esse potest vel cum eis agere quos pessimos hominum ducas vel, quod fiat necesse est, ab eis abalienari quos maxime diligas, quibuscum vitam degas?

## CCXXV

Numquam ego iniurias ultum ivi, numquam ut meo dolori morem geram rei publicae concutiam tranquillitatem. neque quemquam hic esse existimo qui me putet adhuc ultionis cupidum, qui non maximis saepe me ignovisse iniuriis, saepe maximas esse oblitum sciat. vix adeo umquam me ad agendum impulit volgatum illud ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι, ne memor esse iniuriarum viderer. ne multa, illud adfirmo et convictorem me Luculli et in agendo socium haud aliter, haud minus facile esse posse quam quo primum die eum viderim. quod ut sentire me, non tantum loqui persuasum habeas, non nulla enarrem necesse est quae post Aprilem hunc ultimum acciderunt: multa autem alia sunt quae adicere possem. illud expertus comperi, qui intulerint iniurias quam qui acceperint difficilius ad amicitiam conciliari: odium autem, quo causa et ratione careat, eo diuturnius esse plerumque et vehementius. hac igitur de re sensus animi mei

tibi patefeci illudque iterum adfirmo numquam fore ut dolor meus publicis negotiis obsistat prohibeatve quominus cum quoquam rei publicae communiter consulam.

## CCXXVI

Quod ad vos non venturus sum doleo ut magna voluptate privatus, sed quam ob causam hac carendum est ea multo magis mihi dolori est. non unus homo pater tuus est sed duo homines, alter divinior, terrestris alter. ille omnium nostrum mentibus insitus vivit, meae quidem iam quadraginta prope annos, vivit enim ea adferendo quae silice diuturniora sunt, in quae nihil tempus potest, nihil mutatio : hic corpore inclusus, quod caducum magis ac moriturum est. eius quoniam ipse, ut audio, neglegentissimus est, tibi suscipienda est haec cura, tibi reddenda susceptae generi humano ratio. quot enim saecula ante praeteribunt quam germano absolutoque poeta rursus homines fruemur! semina, puto, iacit aetas, paullisper crescunt: fit multis in auditoriis plausus. sed enecari solent, pravae huic vitae velut auris immissa pestilentis. nam quod usquam validi est, valet ad perdendum diruendumque: quod ad confirmandum coniungendumque valeat, quis scit quando id rursus simus visuri? quocirca quam diutissime quod habemus adservandum est. *ὀψὲ δ' ἐς ἀθανάτους τελέοι.* facilius enim eo carebunt *ἀθάνατοι* quam nos *θνητοί.* scito nos tui amantissimos. vale.

## CCXXVII

Zeuxidis Apellisque tabulas et cetera mihi enarranti unum te lectorem tenere, non multos, placet. quod certe dis faventibus accidit: primum idcirco quia neque multitudinem oblectare conaturus sum et frustra, si conarer, operam impenderem. nam quid sit pulchrum sentiunt ei qui a multitudine longe distant: quorum ex numero non tot emptores invenirem ut librariis merces suppeteret. accedit

illud quod nullas ἐφημερίδας conficio neque alia huius navigationis exstabunt monumenta nisi in epistulis his ad te datis. lassitudine paene corruo cum multas horas stans in pinacothecis insumo: quapropter vix dimidiam partem eorum quae videnda sunt videre me existimo.

O si mihi vires et valetudo et par animi vigor esset, quam multo melior mente et locupletior ex hac tot miraculis referta Graecia discederem! nam nunc praeter carmina eaque perpauca vix quicquam scribo. absolutus iam Promethei nostri primus actus est: quem placiturum tibi existimo. equidem carmina scribentem mores resque publicas scrutanti longe posthabeo: itaque, si valerem, ad hoc potius opus me accingerem: nam eiusmodi librum ὀνειροπολῶ qui omnia quae umquam reperta sunt comprehenderet discordesque, quae identidem polluerunt, rationes in concordiam reduceret. quod a me sane procul abest: satis equidem habebo, si datis ingenio habenis me ipsum aliosque fortasse nonnullos oblectavero et in alteram lancem—nam κακῶν, ἑτέρην δὲ ἑάων sustinet mortalibus comes Astraeae Talos — quod potero ponderis iniecero.

## CCXXVIII

Neminem pecunia locupletem, multos sua mens fecit. obtemperare naturae potes? carebis egestatis sensu, carebis etiam metu. 'at enim volgi oculos praestringere, dum purpura et auro fulgemus, hoc magnum est, hoc praeclarum.' immo miserorum est, extrinsecus divites esse, mendicos introrsus: nihil magnum, nihil quod magni sit, nihil honestum spectare, in minima, vilia, sordidissima quaeque defixos habere oculos. nostrae nos avaritiae inservimus et profutura quae in promptu sunt aspernamur, nocitura quae latent exquirimus. nempe ad manum esse omnia voluit deus, quae prodesse possent: quae nocere, celavit alteque condidit. nos tamen ea, quibus pereamus, sectamur: defossa eruimus, cum et natura defoderit et deus.

## CCXXIX

Neminem res adversae frangunt nisi quem deceperunt secundae. quod si fortunae donis nimium adsuescemus, si mancipio haec et esse et fore nostra arbitrabimur, si his innixi propter haec magni nos aestimari postulabimus, quem in dolorem, quam in acerbitatem relabemur, ut primum mentem puerilem et inanem, nullis, quae sincerae sint, voluptatibus instructam, fictae quoque reliquerint voluptates! contra, si prosperis rebus nolemus ad caelum efferri, nec adversae nos depriment, paratisque ad utrarumque pericula animis, cum vires nostras perspexerimus, tum demum nobis ipsis confidemus et inter res prosperas adversa quoque ferre didicerimus.

## CCXXX

Cum autem multis eo perveniri possit rationibus ut parva possidenti parva placeant, duas proferam, mi Brute, rationes. altera illa est, ut quanto plura quis possideat quam in usum vertere possit secum reputet: altera, ut quanto possit esse quam nunc sit infelicior cogitet. quod ad priorem attinet, per mihi scitum videtur illud quod respondisse ferunt Aristippum, cum fundum nescio quem amisisset, cum defleret id damnum amicus, 'o bone' inquit 'mihi tres fundi reliqui sunt, tu unum habes: mihi igitur tuam vicem dolendum est, non tibi meam.' quod contra stulti in locupletiorem quemque defigunt animos, illos spectant, egenos et gravioribus impeditos angustiis non vident, cum tamen in arto posita sint et commoda vera vitae et voluptates: sed ea indoles est hominum ut prospicere velint semper et praecedentibus instare.

## CCXXXI

Memorant poetae, postquam pulsi sint a dis Terrigenae, sic victos ultam esse Tellurem, ut extremam fuderit prolem,

cui Famae nomen inditum esse. quod hunc in modum interpretari solent : quoties detumescant tumultus seditionesque, multa per civitatem mendacia, multos rumores seri : naturam scilicet mendacii hanc esse, ut improborum et e terra natorum fugatis copiis ultimum quasi perfugium sit. melius nostri homines et fortius : qui non solum amissam potentiam mendacio ulciscuntur, sed eodem comparant adeptique servant : sicut animalia eorundem dentium opera et, si forte calcantur, mordent insistentem et, cum esuriunt, cibum sibi conficiunt.

Verum non eadem eorum origo est mendaciorum, quae per rostra contionesque volitant cottidie. huiusmodi mendacium saepe qui repulsam tulit, sicut Minervam Iuppiter, e capite profundit : suscipit plebecula, fovet, amplexatur. deforme interdum nascitur et portenti instar, fingitur postea lambendo : interdum totis artubus, absoluto corpore natum defingunt potius quam fingunt nutrientium linguae. saepe iusto partu, ut infans parvulus, exoritur nec nisi temporis diuturnitate maturescit : saepe iam maturum in lucem cum editum sit, fluit tamen tabescitque paullatim.

## CCXXXII

Ingentem nobis campum ratio patefacit, qui ceteris animantibus non patescit. et ferae enim et cetera, credo, animalia, cum sibi permissa, non ab hominibus domita vivunt, alteram vitae partem agendo, alteram quiescendo consumunt. quolibet tempore deprehendas, aut laborant aut dormiunt. ne plura dicam : dum vigilant, aut quaerunt cibum aut invento vescuntur. solis hominibus opprobrio est quod in eiusmodi querelas erumpunt : ire diem tardius : non habere se quo se impendant : nescire quomodo tempus conterant : aliaque his similia, quae summo cum dedecore ab eis dicuntur qui participes esse rationis existimantur. quae, di boni, quam non ferenda sunt in eis quibus non corpus tantum, quo se exerceant, sed etiam mens est ! qui et suum quisque opus, suum quaestum

facessunt et dis colendis, cogitationibus, sermonibus operam dare possunt, quibus denique licet in rem nullis terminis circumscriptam, scientiae virtutisque studium, incumbere et nullo non vitae tempore meliores fieri vel sapientiores.

## CCXXXIII

Quae adeo in promptu sunt quaerentibus ut ne poetas quidem fefellerint, aureae aetatis felicitatem regnumque Saturni enarrantes. his fabularum illecebris si fidem habemus, primum illud velut spatium natura decurrente ea fuit hiemis, veris, aestatis temperantia ut nec vestimenta hominibus nec aedificia paranda fuerint quibus nimios aestus, nimia frigora depellerent. lacte ac vino redundabant fluvii, mella quercus praebebant, dulcissima quaeque sponte sua natura profundebat. quae ut magna ita non maxima tam beati saeculi commoda fuerunt: cum enim tempestatibus caelum carebat, tum saevioribus his procellis hominum animi vacabant, quibus nunc concitari turbas ac misceri omnia videmus. non pecuniam, non dominationem appetebant: saevire nemo, nemo sibi consulere didicerat. ex animo amare, solari tristem, cum laeto laetari mens adsueverat, ceterorum adfectuum expers. nusquam audiri 'meum hoc est, illud tuum,' nusquam inter beatos id discrimen servari: quo sublato, ne fieri quidem posse putabant ut aut mancipio quis quicquam haberet aut deberet alteri, aberat iusti iniustique ipsa notitia.

## CCXXXIV

Di nobis, Aeschine, ut nostro arbitrio nascamur non dederunt, dederunt ut moriamur. quo cum nihil praestantius dederint, grato nos oportet animo, prout utilitas postulabit aut dignitas, decedere aut manere. forti vero sapientique quodcunque vel acerbissimus hostis inferre potest, quodcunque inconsulti inconstantesque maxime formidant, eo

saepius ipse se adfecit, ita autem adfecit ut non modo non molestum fuerit sed adeo fefellerit. fores obsera: in carcere es. ambula Munychiam: exulas. dormita: mortuus es. stultus ille et impudens est qui nostro haec arbitrio fieri adfirmat, quae inferat hostis, alieno. immo vero quae necessario patimur, ea praecipue et velle pati debemus, nisi forte imprudentioris est necessitati parere quam levitati. ne plura, Aeschine, tempora haec nostra tum demum prava esse censebo cum me ipsum depravaverint: nunc et ipsa ferenda sunt et ea, quam ingruentem praevidemus, tempestas.

## CCXXXV

Opiniones meas identidem retractans mutandas esse plerasque intellexi. plura medius fidius idcirco dicimus—tibi enim, Quinte, fatebor—quia scite dicere possumus quam quod ipsa vera sint ac rationi convenientia. ecquemnam tu putes, qui inter homines versatus sit, amicitiam qualis sit ignorare? quam in hoc positam esse et multi dixerunt et ipse dixi, ut simili indole sis, ut eadem ames, eadem oderis. atqui nihil dici potest a veritate remotius. non eadem sentimus ego et Titus Pomponius: aliis moribus, alia vitae ratione utimur. non eadem trutina homines, non res expendimus: aliis litterarum studiis vacamus, alia probamus praecepta sapientiae: huc accedit ut neque terris eisdem multos iam annos neque sodalibus fruamur. amici tamen et sumus et semper fuimus et, si quid ultra crastinum diem promittere homines possunt, semper erimus.

## CCXXXVI

Narrat Democritus, idque tamquam feliciter hoc commodeque accidisset, se cum Athenas venisset a nullo ne animadversum quidem: vixitque ibidem perbene Epicurus, id est in hortis, qui postea tam clari sunt facti, multos annos cum Metrodoro amico delituit: quo mortuo, cum in epistula

quadam perquam humaniter referret, quam libenter una fuissent, illud ad extremum adscripsit, non ideo imminui hanc tantam vitae iucunditatem videri quod in civitate qua nulla aut fama celebrior aut ipsa loquacior esset, tamdiu non modo celebres sed ne nominati quidem vixissent. atqui paucis post annis ita uterque innotuit ut nullorum essent nomina inlustriora. quod si multas amicitias, multas familiaritates adsciscimus, quid aliud quam portas eis pandimus qui otii nostri maiorem partem vi occupaturi sunt? insulsissimas importunitates, non quartanam, inquam, sed cottidianam febrim in vitam nostram admittimus quam vel cogitatam iure sapiens perhorrescat.

Nam nosci ab omnibus vultu digitoque monstrari quid habeat dignitatis non intellego. quantumcunque enim est, notior hercule optimo medico planus, notior praetore carnifex. notius quodcunque vel nascitur ceteris dissimile vel arte efficitur. saepius, credo, dicebatur 'hic est ille Bucephalus' vel 'Incitatus' cum per vias ducerentur exsultantes, quam 'hic est ille Alexander' 'hic ille Domitianus est.' quod vero ad hunc adtinet, generosius equum animal fuisse arbitror digrioremque consulatu quam principatu dominum.

## CCXXXVII

Hic Alciphro 'sed tamen aliquid' inquit 'lucrati videremur, si omnes hac de re consentirent homines: nam incertum fere est, de quo dissentitur.

*Euph.* dic mihi, Alciphro, quaenam tibi esse causa videatur cur luna deficiat.

*Alc.* mihi quidem inter solem ac lunam terrae umbra interveniens.

*Euph.* hoc igitur pro certo habes?

*Alc.* habeo equidem.

*Euph.* num omnes in hoc gentes consentiunt?

*Alc.* minime hercle vero. respice enim ignaros artium et agrestes populos: alii alias, et ridendas quidem, proferunt causas.

*Euph.* sunt igitur de defectu lunae aliorum aliae sententiae.

*Alc.* sunt profecto.

*Euph.* et tamen unam aliquam ex his opinionibus veram esse oportet.

*Alc.* oportet.

*Euph.* ita igitur de re dissentiri potest ut nihilo minus et sit ea res et una ex his vera sit opinio.

*Alc.* fateor.

*Euph.* tu igitur cum ideo nullos esse deos postulas quod variae sunt de natura deorum sententiae, nondum id ut luce clarius sit effecisti.

## CCXXXVIII

Interea peractis, quae eis peragendae fuerant, rebus, redierunt ad nos Alciphro et Lysicles : et Lysicles quidem ibidem, unde surrexerat, consedit : sed adversus nos stans Alciphro, conexis ad pectus brachiis, capite in umerum sinistrum demisso, speciem praebebat cogitantis. nos igitur, ne molesti essemus cogitanti, taciti sedebamus, cum paullisper moratus 'o veritatem' inquit 'o libertatem!' quod cum dixisset, tacitus, ut antea, cogitansque perstabat. hic ausus interpellare Euphranor 'damno' inquit 'nostro tamdiu tecum ipse colloqueris, Alciphro. nam in hoc angulo terrarum non adeo frequens est doctorum hominum et sagacium sermo : eius hanc quam tu praebuisti occasionem tanti facio ut ea vel abutendum existimem.' *Alc.* tu ergo ex animo cultor es veritatis? fierine potest ut libere disceptari, aequam trutinam adhiberi patiaris? *Euph.* nihil sane est quod magis concupiscam. *Alc.* quid? num de omni re? num de eis quoque opinionibus, quas in gremio nutriculae hauseras, quas inde ex illo tempore fovent parentes, philosophi, magistri, confirmant sacra publice suscepta et libri Sibyllini et alia omnia quibus occupari devincirique hominum mentes solent? *Euph.* libenter equidem edoceri soleo et instructior fieri, quidquid forte occurrit, praecipue autem de rebus gravissi-

mis. *Alc.* hoc igitur, si serio cupis, consistito et intrepidum te praebeto, dum latebras animi perscrutor et 'veteres avias,' ut ait Persius, 'tibi de pulmone revello.'

## CCXXXIX

Iam vero ut quod initio fortasse poni oportuit in fine saltem operis adponam, scriptorem quibus moribus soleat esse praeditus dicam. sunt qui, ubi cum aliis sunt et in hominum coetu, non excitentur,

> sic silet unda lacus, vexant dum summa procellae,

ubi autem soli sunt relicti, se ipsos concutiant fluctuque velut albescente desaeviant. numquam minus sunt soli quam cum soli sunt. discumbitur? tacent. inclusi solique sunt? aestu quodam divino feruntur. illi enim 'tectique fremunt ferventque premendo.' silentium suum, quo lingua vincta fuerat, ita ulciscuntur ut maximam verborum copiam stilo effundant: ruit, inquam collectis scilicet tam diu pluviis, 'crebris ruit imbribus aether.' mirum hoc est, ut vix eius ratio reddi possit? minime vero. et tenent rem et ea tenentur: sed quae tenent sentiuntque, dum aliud agunt, evocare in lucem et adhibere nequeunt. aut nihil facere volunt aut totum animi sensum, qualis est, expromere. hoc autem ut efficiant, in se ipsos mentemque suam descendunt, non ora populi hiantia speculantur. id quod, si poterunt, elocuturi sunt non 'in labris et in udo est,' sed imis potius praecordiis implicatum mentisque quodam velut tabulario reconditum delitescit. colunt ut deam veritatem: huic dum inserviant, vires totas, totos se ipsos impendere volunt; verba autem sensusque suos sicut multo quam ceteri difficilius ex latibulis his educunt, ita ubi semel educere coeperunt cohibere non possunt. non potest id omne, quod cogitat sentitque homo, in summo et in promptu velut ad manum iacere: sed totum hoc maius ac locupletius est, si modo velut altius altiusque effodiendo erui possit, si possit cogitando mentemque fe-

cundam stimulando, velut machina vectibus, promoveri concitarique.

## CCXL

Itaque sic iam statuebant, naturae convenienter esse vivendum: ad hoc natos homines, hoc ab optimo quoque effici debere. ita autem effici ut a volgi moribus discederetur, temere omnia miscentis nimiumque sibi indulgentis, perveniretur ad sublimiora quaedam agendi praecepta, qualia observare multa sibi negantis, multum sibi imperantis esset. nemini non notum est, in hoc uno praecepto paene totam constitisse praeclaram illam sapientiam Stoicorum. devicta autem Graecia, civitatem Romanam ea doctrina statim perrepere incepit: quippe trahebat ad se illum ordinem virorum praepotentium qui aut tenebant aut tenendam utique sibi proponebant veteris Italorum gentis simplicitatem, peregrinarum illecebris deliciarum cedere nolebant. statim hi praecepta adripiebant Stoicorum secundum naturam vivendi: quod qui adfectabant, ideo gratiores nobis, ideo generosiores se praebent quod alio omnia inclinabant: tunc enim in urbem principem immensam quandam et effrenatam morum turpitudinem ingerebat orbis terrarum direptus, ingerebant exempla gentium delicatissimarum.

## CCXLI

Tu vero de omnibus hominibus si quid credere poteris boni, credito. tuo modulo alios mensus ne sis. si contingunt illis quae tibi non contigerunt, quanto illi feliciores, tanto aequior tu iudex esto. nemini invideris: sic enim non erit cur cuiquam invideas. si modo virtutem quocunque in loco videbis fortis agnosces, sicut in patricio prudentiam, in sutore dicacitatem, erit tibi talis animus multarum artium instar. neminem nimis beatum putaveris. obiit adulescens pictor Urbinas: caecus Homerus fuit. si quis sibi placet, si quis superbus est, aut stultus est aut rerum ignarus. qui

nimium in una re se venditant, unam fere habent quam venditare possint, linguarum, puta, peritiam vel machinarum. neque pergratum esse hunc errorem nego, si possit esse diuturnus. verum enimvero tantum hodie tot homines sciunt, tam saepe inter diversa profitentes certatur, ut vix quisquam diu possit hoc in errore versari: talem autem de se opinionem ne suscipere quidem ab initio melius erat quam committere ut totam per vitam retexenda sit. si duas res quaslibet condisces, displicebit quidem fortasse altera propter alteram, sed illud certe efficient ut ne nimium tibi ipse placeas: didiceris enim quanto latius quam credebas spatiari possit mens hominis.

## CCXLII

Noluerim tamen hoc continuo adripias, improbos esse quibus divitiae sint, quibus maiorum imagines stultos. sunt enim illi, quod sciam, tam probi, tam prudentes quam ceteri homines. sed nimirum sic nos ipsos amplexamur ut si aliqua in re melior alter est, illud sumamus ac velut in trutina ponamus, ne nimium lanx altera deprimatur, tanto eum in eis artibus inferiorem esse in quibus maxime nos iactamus quasque nostras esse praecipue arbitramur. quid? ferendumne esset si non modo Fortunae donis set etiam prudentia praestarent nobis alii? credi id quidem non potest. inviti fatemur tantundem esse in ordine senatorio ingenii quantum in totidem plebeiis. sic feminarum quoque si quae pulchrior est, aut vaecors aut impudica solet haberi: virorum qui milies habet, avarum putamus, prorsus inlitteratum, misellum alioqui, ne nimium nobis dispar sit. haec invidi sunt animi non amantis veritatem.

## CCXLIII

Neque ignoro et hodie multis ita videri et olim visum esse, sic fortuna, sic deorum providentia res omnes regi ut neque in melius eas flectere sapientia sua possint homines neque

ullum adhibere remedium: unde hoc eos effici velle, ut neque adnitendum sit nobis neque sudandum, sed quo res suo quaeque nutu ferantur, eo ferri eas sinere debeamus. quae opinio idcirco nostris his temporibus magis increbruit, quod toties videmus praeter spem hominum et novatas esse res et hodie quoque novari. ego autem, cum rem identidem mecum diligentius considero, in eandem et ipse nescio quo modo delabor sententiam: verum enimvero, ne nihil arbitrio nostro sit relictum, sic fortasse rem se habere existimo, dimidiam partem eorum quae agimus a Fortuna gubernari, dimidiam vel paullo minorem nobis ipsis permitti gubernandam. Fortunam equidem fluvii rapidi violentique instar esse puto, qui multis imbribus auctus et concitatus obruat campos, evertat arbores domosque, aliunde abreptam terrae molem alio devehat: metuunt omnes, omnes vitant, nemo quo modo resistendum sit intellegit: neque tamen non possunt homines, licet interdum tam impotens sit, ubi rursus tranquillus fluit ac quietus, ita aggeres saepta ceteraque obstruere, ut, cum iterum ingruerit, vel alveo nescio quo deductus vel aliquo modo mansuefactus minorem saltem angustioremque det stragem. sic Fortunam quoque existimo, ubi nulla ad resistendum sit virtus insita, ibi imperium suum exercere: ubi sciat in nulla saepta, in nullas ripas se incursuram, eo vim omnem fluminis ritu convertere.

## CCXLIV

Blandos, humiles, officiosos despiciunt homines, cedunt gloriosis seque ipsos venditantibus. eum oderunt qui et modestus est et suus, qui neque imponere vult aliis neque indignos suspicere: huic irascuntur, non inanibus, non tumidis et ineptis; hunc contemnunt, cum avarum et fraudulentum contemnere debuerint. quod idcirco fit quia non vani tantum et ignavi sumus sed etiam lenti atque in invidiam fortasse propensi. dum ostenduntur pro solidis inania, dum sicut anulus in digito vibrantur ante oculos et collucent, virtutem

in tenebris latentem eruere, rem molestam, supersedemus: inscriptae velut in propatulo virtutes, frons audax, ridentis oculus, operam nobis compendi faciunt ut neque excutienda sint indicia nec nostro Marte diiudicandum: praeterea minus nobis ipsis displicemus si in speciem tantum virtutis incurrimus quam si in rem ipsam ac veritatem. praepositus sapienti stupidus cum cachinno a stultis excipitur, conivent astuti cum suo suffragio Stoicus fit ex quadruplatore:

decipere dulce est: dulce est, credo, decipi.

ubique enim nescio quo modo coniurant, praevaricantur inter se dantque et accipiunt invicem fraus et credulitas.

## CCXLV

Nemo tamen dicere audacter potest utrum immatura mors saevientis an faventis Fortunae sit. neque enim scire quisquam potest quae eum, qui e vita excessit, si diutius in vita mansisset, oppressurae fuerint calamitates. quam saepe accidit ut mortuo parente ea aut faciant liberi aut perpetiantur quae ille si superstes vidisset, in tenebris et angore summo quod reliquum esset vitae vixisset! quoties acerborum in corpore semina morborum delitescunt, qui, nisi mors immatura ac fortasse dolore carens crescentes praecidisset, miseriam vix enarrandam parituri fuerint! quoties vergentem velut lucem errores ac calamitates nubibus obducunt vitamque honeste actam deformant, quoties ante noctis umbras vitia nescio quae erumpunt quae in adulescentia ac iuventute omnium oculos fefellerunt! quotus quisque est quin vitam ab amico peractam retractans ita secum saepe locutus sit: 'quanto haec, si citius finem habuisset, vita fuisset felicior!' enimvero nullae meliores homini preces sunt quam ut mortem tempestivam di immortales duint.

## CCXLVI

Rerum omnium sua cuiusque utilitas est: vitae, ut mortem contemnere doceamur, mortis, ut vitam. gloria autem, quae

inter ea quae in medio posita sunt maxime elucet, licet nonnulli sapientium nihil eam nisi fucum ac fallacias esse crediderint, magna tamen ingenia commovet, quae aliter commoveri non potuissent, atque eo producit ubi collocata optime et commodissime dent operam rei publicae. hanc contemnere impune, nisi qui iure consecutus est, nemo potest: de aliis rebus disceptet, de hac taceat, si quis sordidus, indoctus, pravus est. hanc qui contemnit philosophus, is deterrimo cuique placiturus est, is pro certo habeto sectam suam aliis omnibus diuturniorem futuram. defuerit, fateor, nonnullis occasio: totam per vitam, sicut in umbra solarium, delituerint, semper ad agendum idonei, nihil umquam agentes: hoc tamen aut ubi unus dominatur accidit aut in ea civitate ubi principem locum adepti sunt qui vix secundo digni fuerunt, qui livori saepius obtemperant quam amori iustitiae.

## CCXLVII

Illud autem quanti non emptum quis velit ut cum Orpheo ac Musaeo, cum Hesiodo Homeroque colloqui liceat! immo vero, si haec vera sunt, iterum atque iterum moriar. me vero ipsum mirum quantum tenebit oblectabitque id colloquium, cum vel Palameden conveniam vel Telamonium illum Aiacem vel si quis alius inter veteres ac virtute insignes iniquo iudicio circumventus mortem oppetiit: neque exigua erit, ut opinor, voluptas meos labores cum illorum laboribus conferentis: quodque vel maximum est, scientia quae vera sit quaeque falsa quaerere diutius, sicut hac in vita quaesivi, sic illic quoque in sedibus beatorum licebit: deprehendam autem quis sapiens sit, quis se simulet esse sapientem, sit re vera insipiens. quanti non id bene emptum, iudices, quis putet ut ex duce illo ad Troiam Graecorum quae velit sciscitari possit? quid? Ulixen interrogare vel Sisyphum vel sescentos alios et viros et feminas haud secus? quam infinita in colloquendo interrogandoque oblectatio! non enim illic percontatorem sicut percussorem morte multant:

minime hercle vero: nam praeterquam quod beatiores nobis sunt, erunt etiam, si vera sunt quae narrantur, immortales.

## CCXLVIII

Nemo est qui non aliquando quod aliquid fecerit gavisus sit. nam nescio quod negotium, quod differre volueris, perfecisse, aes alienum dissolvisse, librum conscripsisse, litteris adeo amici rescripsisse: haec omnia non exiguam homini et quietem adferunt et voluptatem. morienti nonnullum solacium est sua omnia testamento disposuisse, nihil eorum, quae plerique facere debemus, infectum reliquisse. quod aliquid aut commenti sumus aut re absolvimus, quod scientiam qualemcunque penitus perdidicimus, quod quae inordinata fuerant in ordinem, in concordiam quae fuerant discordia redegimus, quod nobis aliquid auctoribus crescere et exaedificari vidimus, ex his rebus multam multi iucunditatem traximus. iuvat aliquid fecisse, non semper esse facturos. cum autem necopinato mors adest, sic fere deos alloquitur homo ut Hercules ille Oetaeus:

> spatium labori cedite et mortis moram:
> volens obibo, munus hoc cum absolvero.

## CCXLIX

Novi ego multos quos dicere audierim (neque de ipsorum probitate non simul dubitaverim) egentem neminem esse qui non sit improbus. quod etsi asperum dictu est, valet tamen, quam multi opinantur, latius. illud saltem ne verum sit metuo, paucos esse, qui valde obaerati sint, probos. neque enim prorsus honestum negotium facessit is qui institori palpatur: cui crastinae instant Kalendae, si hilarem se ac securum in circulo gerit, possisne esse dubius, in ipso quem tecum habet sermone, quin sit

> introrsum turpis, speciosus pelle decora?

cui sordidum nescio quid in re nummaria moliendum est, ille

quadruplatori tam prope adsidet ut vix tanti sit exquirere quid intersit. simus sane in delictis hominum homines quam poterimus lenes; neque minus remittamus si quid nobis debebunt amici quam fore speramus ut si quid ipsi debebimus remittatur. sed de aere alieno quaeris quid optimum sit factu? solvas: obaeratus ne sis neve convictoribus utaris obaeratis.

## CCL

Sic a te tractari philosophiam ac philosophos magno cum dolore intellego: lucifugos quosdam putas, qui a vita communi prorsus recesserint. cogor igitur eorum quos in honore habeo patrocinium suscipere, quamquam ipse huius mercis οὔτε κάπηλος—dixit Aspasia—οὔτε ἔμπορος sum. id nomen qui primus est adeptus—credo enim, meministi—vitam esse similem aiebat ludis Olympiacis, quo coetu temporibus eius illoque in populo nullus erat frequentior, ubi alii adessent ut vires corporis ac pernicitatem ostenderent, pugiles scilicet ipsi et cursores, alii ut in sua quisque arte callidos se praestarent, tibicines ac poetae oratoresque et rerum scriptores, mercatores autem ut lucrum facerent, meliores denique et instructiores ut spectaculo fruerentur deque his omnibus iudicarent. non igitur ea aetate vitam hominum refugiebant philosophi quod illecebras eius metuerent, sed media in vita versabantur sermonibusque potissimum operam dabant artemque persuadendi ideo excolebant ut docerent homines, non officio tantum fungi sed sibi ipsi eum consulere qui stultitiam fugeret mendaxque et iniustus non esset. neque hoc non multis persuaserunt; sua enim vita docebant posse ea quae suadebant perfici neque voluptatis illecebris quemquam capi nisi qui dolores qui cum voluptatibus coniuncti essent parum perspexisset.

## CCLI

In plerisque hominibus vereor ne tantum livoris delitescat ut eis praecipue laudibus invideant quae maximam adferunt

voluptatem eamque ipsi laudem libentissime tribuant quae ab eo qui laudatur percipi non potest. tumulum exstruere marmoreum idcirco non gravantur quia nullum bruto cineri honorem tribuere possunt propter quem ei possit invideri: eam denegant famam quae vivum delectare et ad maiora provehere possit. aliis bene velle, se ipsos parvi facere, dum eos laudant quos nulla laus contingit, videri cupiunt: simul enim illud effugiunt ut vivo aemulo, rem sane acerbiorem, blandiendum sit. procudit opus aliquod aequalis? placet eis absolutae virtutis fictam ante oculos imaginem habere, deterius esse hoc eis quae ante fuerint autumant, ut quanto melius sit ceteris quae nunc sunt nemo videat. neque, cum culpatur aliquis, non eadem subest mentibus invidia. sic reprehendi vitia malunt homines ut vivi laedantur quam ut nemo doleat. probant eam culpantium severitatem quae culpatos angore conficit et in tenebras et egestatem reducit, eam improbant quae frustra in sepultos cadit.

## CCLII

Sed ut illuc unde profecti sumus redeamus, etsi multum sine dubio ad bonam malamve in vita fortunam confert prudentia, constat tamen multas ex improviso vicissitudines, multos fieri casus quibus persaepe evertantur ea quae quam callidissime excogitaverint homines.

> non semper palmam fortis, non praemia cursus
> fert pedibus velox.

nam fortunae, ut velis, imperare infinitae demum sapientiae est: quantum eius homini contingere potest, id haudquaquam satis est munimenti ad ea quae res nobis gerentibus fortuito eveniunt. immo vero persaepe fit ut, cum prudentis semper sit cavere, propter ipsam prudentiam non tam prosperis rebus utatur quam sine ea fortasse fuerit usurus. nam ei qui humanae obtemperat prudentiae eaque sola expetit quae prospere agi posse veri simile est, numquam magni illi et

necopinati contingunt eventus, quales saepe pariunt propensus ad spem animus et felicior temeritas: unde illud, credo, fit, quod vulgo dicitur, ut Fortuna, sicut ceterae feminae, iuveni libentius quam seni favere soleat.

## CCLIII

Haec eo nos ducet opinio ut, quod unum aequi animi firmamentum est, nihil cupere, nihil aegre ferre adsuescamus: ne multa, et vitam reddet iucundiorem et adimet morti terrorem. hoc qui agit, Catule, nonne negotiosus? nonne in voluptate idem est, eaque omnium maxima? neque enim talem res humanae praebere possunt: secedendum est ab hominum societate, ut integram gustemus: gustabimus autem eo melius quod hominibus homines interfuerimus. quoties in scientia aliquid proficitur, novum velut ante oculos spectaculum et iucundum patescit, et aliud eo laetiores tenebimus quod ad aliud nos perventuros sperabimus et novo gaudio esse fruituros; itaque ante quam ad finem venerimus offerentium se deinceps voluptatum, aderit mors, quae et voluptates simul et dolores praecidat.

## CCLIV

Adicit eandem omni rerum statu virtutem esse, sicut templa deorum, etiam cum diruta sint, esse venerabilia. inde in se ipsum acerrime invehitur. 'sic' inquit 'miseri sumus aut non miseri, cum in adversas res incidimus, prout rebus prosperis usi sumus. si sapientiae parandae, exercendae virtuti tempestive operam dedimus, susque deque sunt ea mala, sin minus, necessaria: aliis mala sunt, aliis remedia maiorum malorum. ad deum autem, qui et quibus egeamus scit et quam ignari rogemus, optimae hae et brevissimae sunt preces 'fiat quod tu volueris.' neque acquiescere tantum nos oportere sed etiam meliores nos ipsos reddere: frustra caelum mutari nisi rationem simul mutaveris vivendi.

## CCLV

In amicis deligendis primum hoc videndum est ut animo atque ingenio similes sint: sunt enim multa quae, sicut oleum et acetum, disiuncta quidem egregia sunt, coniuncta parient discordiam. sequitur illud, qualem se is, quem deligimus, erga priores amicos praestiterit. tertia cautio est, atque ea quidem tanti momenti, ut iure in hac ceterae positae esse videantur, utrum cupidinibus suis an rationi obtemperans sit. quo facto, consentaneum erit inquirere, quo inclinet indoles ac sua sponte ferat, utrum ad probitatem ac virtutem et eiusmodi facta atque oblectamenta quae laudabilia sint virumque pium et honestum deceant, an ad turpes voluptates viroque indignas, quibus nulli se dedunt nisi impudentissimi ac nequissimi. praeterea erit tanti observare utrum hae cupidines animique inclinationes faciles sint atque lenes, quales neque ab adloquio abhorreant et rationi auscultare velint, an violentae effrenataeque quales nihil expetant nisi ut sibi ipsis mos geratur, consilia alio trahentia respuant ac contemnant: tales enim homines plerumque cerebrosi imperiosique sunt minimeque idonei quos in amicorum numerum adsciscas.

## CCLVI

Nam sicut equi quae vident obscurius reformidant, sic homines aliena parum intellegendo dissentiunt, consensuri, si coram colloqui possent. contemplator, quaeso, longos arborum ordines, quae Flaminia vel Appia iter facientem a sole defendunt. longe inter se distant proximae, extremae modo non in unum convergunt. idem saepenumero in sententiis fit. qui longinquis e locis sunt profecti, 'atque atque,' ut ait Ennius, inter se accedunt, si aut ad compescendas simultates robur animi aut ad temperandas leniendasque prudentia suppetit. tu si cum Epicuro horam conterere potuisses, libentissime, credo, cum eo fuisses. nam quod in tua indole optimum est, eius ille similem habebat indolem.

ex adversa regione profectus est Zeno: tamen congrediuntur aliquando, dextram dextrae coniungunt. neque parvo nos beneficio adfecit is qui docet quomodo obiurgari metus placarique possit, quomodo mors exui terroribus, quomodo et voluptate frui et insons esse idem et constans possit: qui haec nobis persuadet, pravitatem acerbam ac sibi infestam esse, ambitionem, quae omnium cupidinum maxime virilis habeatur, maxime esse et puerilem et inanem. obdormiscant pueri, si tam diu nugentur quam nostri hi senes.

## CCLVII

Neque homines tantum, quos ipsi novimus, sed etiam eorum, quos numquam vidimus, vitae mentes nostras mirum in modum devincire possunt. nam cum multis modis educemur, nihil pluris habendum est quam ut paucorum vitas diligentius pertractemus, magnorum hominum et honestorum, qui eam sui imaginem reliquerunt ut ingenium eorum ac vitam non modo augurari sed penitus cognita ac perspecta habere possimus. quippe cedimus omnes consuetudini neque nostri esse audemus. ut psittacus voces humanas, sic nos ea decantamus quae de Parrhasiis Phidiisve nostris, de Flaccis ac Maronibus ab aequalibus nostris dictitata, ab acta legentibus temere iactata excipimus. alio nos ducunt magnorum bonorumque vitae, seiungunt a nobis ipsis opinionibusque eis quibus pridem inservimus, longinquiora videre, cogitare fortius, plura mente amplecti nos adsuefaciunt neque patriae tantum saeculoque nostro obsequi sed iustitiae ac veritati. fit etiam ut ostendant quantum roboris, qui fervor ingenii in eo homine delitescere possit quem unum esse de multis putaveris.

## CCLVIII

Amicitiae apud veteres tria genera discernebantur, e quibus unum utilitati inserviret, alterum iucunditati, tertium

ei quod bonum atque honestum esset. primum autem illud genus ita dicitur ut adiecta utilitate tollatur ipsa amicitia; suae enim utilitatis causa nemo potest alteri esse amicus neque amici hi sed socii appellandi sunt. immo vero pertimescet potius is, cuius vel umbram turpitudinis refugiet animus, ne, si ad alterutrum commodi nescio quid ex amicitia defluxerit, minus sincera ea fiat minusque sui ipsius causa expetenda. interdum tamen et pecuniam amicus amico ita commodat ut uterque dis probantibus sentiat initam esse amicitiam. voluptates vero amicitiae praeconio apud vos quidem nostro non egent. quis enim nescit adulescens quam iucundum sit habere amicum?

## CCLIX

Ita virtutes disponit Aristoteles ut principem locum obtineat fortitudo, haud, puto, ut quae ceteris praesidio sit, sed potius quod recente adhuc hominum societate prima haec velut elucet ut agnosci possit. quinque autem, si Aristoteli credimus, genera sunt imperfectae fucataeque fortitudinis, quinque e fontibus manantia. una ea est fortitudo quam aut famae metus et poenae sustentat aut incendit pudor. altera ex experientia nascitur, vera et inania pericula diuturno ex usu secernentis. tertiam ira inconsulta gignit, quarta sibi ipsis fidentium est. quinta non aliunde putanda est nasci quam ex inscientia. neque leviora haec genera virtutis prorsus contemnere volemus si cogitabimus quota pars vel eorum, ob quae homines laudantur, factorum haud dissimilibus de causis suscipi soleat. sed his omnibus longe excelsior est vera virtus, omnia circum pericula videntis, nihil sibi mercedis post mortem fore sperantis, officio tamen ita obsequentis ut quod in terris optimum gratissimumve est relinquere sit paratus. cuius dici non potest virtus cum voluptate esse coniuncta: nam ea, quae ex laudibus posterorum praecipitur, voluptas nihil est ad gravia vulnera vitamve amissam. ille tamen bene actum putat: nam quod

sibi proposuit consecutus est. licet nemo eum inter occisorum cumulos animadvertat, beatus tamen habendus est, ita, inquam, beatus ut neque aedes lautae neque epularum elegantiae verius beare possint, non praemia ulla, non ei, qui tam grati solent esse hominibus, honores. patriae opitulantem mori quam vivere satius est.

## CCLX

Scio quidem derideri haec tamquam somnia plebeculae a sapientibus, qui sic fere arbitrantur, ex vita hominum universorum, tot saeculorum testimonio id effici, ut nullae exsistere in lucem mortuorum imagines videantur: multa de eis narrari, nihil certum, nihil certo auctore: numquam eas, aut perraro, nisi uno sensu percipi atque eo sensu qui facillime decipi soleat: tum autem apparere cum maxime animus in motu sit, apparere solis et in tenebris ac caligine versantibus: numquam cur venerint expediri posse, numquam ab eis quod tanti sit perfici; iure igitur omnes aegri animi aut hariolantis existimari. sed haec dum secum *καὶ μάλα σεμνῶς* philosophatur sapiens si forte lucerna extinguetur, putasne eum pari mentis *ἀταραξίᾳ* ratiocinaturum? immo vero, ut rem breviter complectar, nemo tam in tenebris fortis est quam in luce meridiana, nemo in solitudine, nemo inter Esquilini sepulcra tam constans animi quam cum inter hominum frequentiam, in atrio lychnis collucente versatur. sunt tempora, sunt loci eiusmodi ut vel constantissimis horrorem nescio quem iniciant, qui aut metus est aut a metu haud longe dissimilis.

## CCLXI—(*a*)

Isocrati scribendi ars displicuit. neque minus Plato scribentis manum voci posthabebat loquentis. nempe oblivionis, non memoriae fontem repertum; qui scriptionem adhibeant, adsuescere pugillaribus suis potius quam memoriae confidere et, quae senserint, cereis tabulis, non menti, im-

primere. iam vero penes scriptorem non esse, a quibus libri semel emissi emantur; posse in eorum manus devenire quorum minime voluerit. nam hoc et ab oratoribus et a scriptoribus postulat Plato, ut quae audientibus idonea sint proferant; oportere magistrum, perspectis adulescentium ingeniis, quae cuique discipulo profutura sint argumenta, quae nocitura, compertum habere. sed quam Plato scientiam dicit, eam prorsus non potest impertire liber; neque enim roganti respondere nec parum intellegenti quid velit scriptor explicare potest.

(*b*)

Qui scriptoris auctoritate fretus aut narrationem rei gestae aut sententiam ita adripiat ut neque quid velit teneat neque quae ratio sit reddenda intellegat, eum scientiam non habere. proinde ne acroasin quidem aut habitam ad populum διατριβὴν, nedum librum, cuius absens vel mortuus sit auctor, scientiam impertire posse; ad quam consequendam, opus esse diuturna meditatione, diuturna et operosa dialecticae disciplina. qui veram habeat scientiam, eum debere cuilibet adversantium argumento occurrere, suae ipsum sententiae disputando opitulari, utpote et ipsum, undecunque spectari possit, spectare adsuetum: hoc autem neque librum neque acroasin praebere posse. praeterea, eandem docendi et agros colendi esse rationem; esse enim sicut terrarum, ita ingeniorum diversitatem. eadem semina, si alio vel solo vel ingenio severis, alium ferre fructum; esse autem et solorum et ingeniorum genera, in quibus haec vel illa ne seri quidem oporteat semina.

## CCLXII

Nimium saepe eo inclinamus ut, qui deprehendit malum suspicaturve, eum sagacissimum et prudentissimum habeamus; in hoc ipsi gloriari solemus quod non decipiat nos quod in propatulo boni est, sed quae sub persona latent dispiciamus. qui culpare quam sperare mavult, qui vitia

hominum perspexit neque a quoquam multum postulat, qui hanc esse vivendi condicionem putat ut multa deinceps sperantibus pauca contingant, magna molientes parva consequantur, quam saepe de tali homine 'sapiens' hic inquimus 'vita ipsa magistra est'! verum hunc in modum ratiocinamur duarum rerum obliti. primum enim obliti sumus, quae quaesitum eamus, ea fere nos et in rebus et in hominibus invenire: si alia sit animi nostri consuetudo, aliam rerum hominumque naturam videri, aliam etiam deorum.

## CCLXIII

Prout identidem adficimur, una adfici natura et ut ita dicam infici videtur. externa animis respondent. sic et cum laetis caelum ipsum laetari visum est et, magni poetae testimonio,

> qui vidit curas hominum sortemque caducam,
> illi etiam quae purpurea rutilantia luce
> sub terras merso fulsere crepuscula Phoebo
> triste aliquid ducunt mixtam et splendoribus umbram.

neque aliud fit, cum hominibus homines intersumus. qui pravus est, indicia semper pravitatis ibi deprehendit ubi alii vix deprehendi putent posse. audit verba probissimi: 'num quae sentit' inquit 'dicit?' facta benevolentissimi: 'forsitan haec' inquit 'sibi consulentis sint.' contra, qui sincerus animi benevolusque est, benevolentiam, liberalitatem, boni verique captum, ne in turpissimo quidem hominum obsolefactum, sagaciter odoratur. maius adiciam: qui sic bona malave in aliis dispicit, is malum illud aut bonum eo ipso, quod non ut a se alienum aspernatur, elicit in lucem apertiusque cogit grassari.

## CCLXIV

Trutina nulla est, qua unum quemlibet hominem qualis fuerit expendas: perdifficile est ad hanc vertitatem vel

propius accedere. fieri potest ut regna administrantes publicae ad agendum impellant causae, quas aut intellegant aequales aut subesse saltem suspicentur. mutantur tempora, in alia homines intenti sunt: non iam sunt ista, quae si sciremus, reddere actorum rationem possemus. itaque, qui historiae dat operam, ea quae nosse se putat circumspicit, superbiam, cupidinem dominandi, metum, avaritiam, invidiam, libidinem; cum autem sic ex animi sententia rem diudicavit, si quis aliam causam quaerit, aut irascitur aut ridet. qui tamen, quamdiu de universa recti pravique natura non frustra est, nec nocet cuiquam, neque ipsi nocetur.

## CCLXV

Plerisque hominum, ubi senescunt, esse quod sunt satis est. vitam quae peragenda fuit peregimus: aequo animo dum ultima mors rerum vocet exspectamus. neque facile mutari possunt, quibus tam diu adsueti sumus, mores, neque ad mutandos vis suppetit. sunt autem quos nihil iam commovet: *ἀδιάφορα* omnia, et quae extra se ipsos sunt et ad extremum sibi ipsi. alii inter praeterita mente versantur: quid fuerint, non quid sint, nedum quid esse possint, cogitant. alii sibi ipsis displicent, meliores se fieri posse non putant, ad Laberianum illud tristi animo decurrunt: 'talem manere qualis sum satis est mihi': longe aliter Plinio, ut antea diximus, visum est. ad extremum ille vitae tempus vita quam optime uti volebat, ut non alios tantum sed se quoque ipsum redderet meliorem. frustra ad honestatem homines niti putabat, nisi quis per vitam niteretur. semitam illam Virtutis Hesiodeam, longam atque arduam, numquam non ante oculos habebat. nulla ille lassitudine, nullis doloribus victus, cum defetiscere sibi et corporis et mentis vires sentiret, cum dubitaret de multis, multa incohata relinquenda essent, nihilo minus iter inceptum instabat ea spe ut confidere videretur

*ἔσσεσθ' ἢ ἠὼ ἢ δείελον ἢ μέσον ἦμαρ*

cum ad optatam virtutis metam esset perventurus.

## CCLXVI

Hunc in modum gloriari solent Eloquentia ac Philosophia, a se primis congregatos in unum, qui dispersi ante fuerint, homines et in societatem coniunctos, sua opera et domuum parietes et moenia urbium aedificari esse coepta. quae utinam haec omnia, quicquid texuere, Penelopae ritu rursus retexant, utinam rursus inter silvas scelerum ignari versaremur, utinam ne lautarum aedium magnitudines, rostrorum contionumque argutias nossemus! coegerunt in unum, fateor, multa hominum longe lateque palantium milia : in urbes deduxerunt, ubi alius alium fraudet, in exercitus, ut alii ab aliis caedantur. earum opera factum est ut qui feras agere, pisces captare fuerint soliti nunc suis retia parent et homo homini insidietur. in pacem se homines redegisse aiunt, belli re vera docuerunt artem. neque infitias eo, ad coercenda vitia leges ab eis salutares esse constitutas, verum Iasone infeliciores sunt, ut quae satis dentibus exciverint quidem armatos, debellare nequiverint. non erant antea scelerum poenae: at minus admittebatur sceleris, quia nec praemia erant tum scelestis proposita.

## CCLXVII

Ceteris aleatoribus nummuli, belli domestici aleam temptantibus ingentia contingunt praemia : ita autem contingunt saepius, ut maxima rei publicae vulnera inferantur. gravissimae igitur poenae sunt indicendae, ne quid eiusmodi expetant homines. plerumque enim et falsum est et perniciosum quod hodie dictitari solet, aliud esse in rem publicam peccare, aliud in singulos. immo vero nusquam facilius quam in rebus publicis, nusquam funestius grassantur libidines hominum pravissimae, nec foediore quisquam scelere scelestus est quam qui, dum potentiam sibi adfectat, capita civium in discrimen proicit : nullis e sceleribus aut latiores nascuntur miseriae aut diuturniores quam ex eis quibus rei publicae labefactantur adminicula tolliturque illa vitae ac rei

alienae iurisque universi reverentia, qua sublata non possunt homines fieri humaniores.

## CCLXIX

Aspice vero, quam iucunda herbarum viriditate vestiantur campi! nonne in silvis ac nemoribus, in fluminum fontiumque perlucidis liquoribus nescio quid inest quod animum permulceat, delectet, efferat? profundi maris immensitatem quoties prospicimus, quoties obtectorum nubibus montium altitudines veteresque umbras silvarum, non dulci quodam horrore praestringitur animus? saxis quoque et desertis locis non amoena quaedam inest vastitas? quam sincera oritur voluptas quod in terris venusti est spectantibus! quam ut integram regustemus voluptatem, non et involucro noctis identidem obducitur tellus et aliis anni temporibus alios sibi induit amictus? quam apte disposita sunt elementa quaeque! in eis etiam rebus, quas natura profundit vilissimas, quae varietas, quae utilitas! quae tenuitas, pulcritudo, sollertia et in animantium corporibus conspicitur et in eis quae e terra gignuntur! quam subtiliter omnia conformata sunt ut et suum quaeque munus obire possint et simul inter se respondeant rerumque illam ex discordibus concordiam efficiant! quae cum aliud alii auxilio sint, nonne et venditant se invicem et inlustrant?

## CCLXX

Saevum et imperiosum Neronem, suspicacem Tiberium fuisse aiunt. quae tam saeva, tam vera dominatio est quam vicini? quae tam iniqua lex quam ut quod ille faciat tibi faciendum sit? quod gravius in cervicibus iugum quam quod similem ei esse oportet? num missi a tyranno exploratores tam ad ostium sunt quam oculi iuxta ostium habitantis? serpit ubique ea, quae semel increbruit, opinio: exigit ut sibi obtemperetur: aliena nos cogitare, aliena loqui, alienis uti

consuetudinibus cogit. parere huic recusas? nullum scilicet praetoris edictum, non corpore plectaris, non poenas des quales Scytharum vel Maurorum inhumanitas sumere de sontibus solet: non tam insulsum est saeculum. tantum dicaris a tuta orbita declinasse: fit murmur haec atque talia in aurem susurrantium 'deplorandae sane istius sententiae' 'quam dissimilis ceteris hominibus adulescens!' 'honestam esse voluntatem haud negaverim, consilia vide sis, o bone, ne rem publicam labefactantis sint.'

## CCLXX

Quid ergo? obsequitur qui prudens est. quotus quisque enim est cuius non dignitas quaestusque ceterorum hominum opinioni sint obnoxia? vis prudens haberi? parendum scilicet illi Lucili praecepto: 'quocum identidem loqueris, quae ille sentit sentias.' nihil ei negant, cui confidere possunt, homines. labem traxit et ipse sermo. ubinam illa libertas inridentis, adfirmantis candor, ius velut dicentis fiducia? nusquam sunt, exaruerunt: audias cum taedio scriptores, quibus plaudi solet, querentes, obsolevisse, quae olim fuerit, sermocinandi artem. pari iure ambulandi artem periisse postules. multorum hodie egregius est sermo, quoties sciunt quibuscum colloquantur. profecisse adeo hanc artem dicas, quod novis in rebus alioque saeculo exerceatur.

## CCLXXI

Mihi quidem, quanto aetas provectior, tanto certior fit opinio, duas esse res quae ad civitatem conservandam maximi sint momenti, alteram ut scriptorum praestantium deinceps oriantur ingenia, alteram ut rerum bene gestarum, factorum honestorum conscientia et memoria possit gloriari. praestans autem scriptor is demum est cuius apud cives suos in proverbium veniunt verba vitamque imbuunt omnium, qui et exeuntibus et domum redeuntibus praesto est comesque

errantibus, quocunque pedem tulerunt, quodcunque egerunt, quamcunque obituri sunt mortem. scriptoris huiusmodi famam si metiri vis, non colloquia exquirenda sunt doctorum circulique sibi placentium, ubi alterum quis Alcaeum vocat ut ipse Callimachus vocetur: in plana urbium, in solem atque pulverem ex umbra descendendum est, ubi vitam agunt viri feminaeque et suas quisque tamquam in scaena partes transigit, sicut tot hominum saecula transegerunt: nam, ut ait Cluvienus,

> estque fuitque homini, sua nigra an candida sors sit,
> arbitrium, seu magna petet seu parva sequetur
> sive utrumque simul. vetus haec comoedia semper
> in scaena est, veteres, humana negotia, ludi.

## CCLXXII

Ita credere solent homines aut non credere, tacere quod audierint aliisve dicere, prout suus quemque fert animus. mors autem, quae tenuiorum hominum praecidit simultates, de moribus virorum illustrium dat loquendi licentiam. plurimus hinc de regibus sermo est. nihil illi, dum vivunt, nisi blanditias audiunt: ubi e vita excesserunt, ita iniurias suas ulciscuntur homines ut indolem illis foedissimam tribuant: quanto autem clariores fuerunt, tanto vitia excutiuntur accuratius. de hac re Cluvienus:

> maior non ulla voluptas
> quam velut edicto regem damnare sepultum,
> quo fueris vivo blandus tacitusve tot annos,
> tortorem et laqueum metuens duramque Seriphum.

decedunt illi vita defuncti: superstes est quidquid re vera effecerunt seu mali seu boni, ipsos e medio sublatos nullae iam tangunt sententiae quales fuerint expendentium. num quid Pisistrati Caesarisve refert quid de rebus a se gestis censeant homines? a scriptore rerum si exempla petuntur ad vitam utilia, pluris refert damnari ea quae inter narrandum improba videantur, laudari quae in melius nitentibus pro-

fuerint hominibus, quam ut trutina veraci expendantur ingenia singulorum.

## CCLXXIII

Ipse igitur rex probus probitatisque per omnia amator. quales ministri? sint pecuniae cupidi, dissimulatores vitiorum, sibi ipsis consulentes: quid proderit populo bona regis voluntas? cupiet ille quidem omnia in suos beneficia cumulare, res tamen eorum, indolem, necessitates prorsus ignorabit, immo vero saepe ea regi deferentur quae maxime sint veris contraria: hunc optimum dicent praemioque dignissimum qui nihil aliud praestiterit nisi quod effrenata saevitia regni commodis inservierit, illum ut pestem perniciemque civitatis improbabunt qui quod pravis consiliis rem publicam gerentium summa constantia ac virtute obviam ierit obstiteritque idcirco hanc famam lucratus erit. cupiet, inquam, quam maxime prodesse populo: sed quoties quod eis profuturum sit imperabit, per speciem obtemperandi quae maxime contraria sunt perficient ministri.

## CCLXXIV

Si consulerent homines alienae felicitati, si suae, ut brevius dicam, si prudentes id est providentes essent, nullum interire populum, nullam urbem diripi videres, non conlapsum in cineres vicum, non fundum desertum. verum enimvero adstant regibus semperque adstabunt qui melius esse metui quam amari persuadeant: utrum diligatur necne scire neminem: qui metuatur, certis hoc indiciis compertum habere deumque apud mortales existimari. cui opinioni dum faces subiciunt, propius ad latus propiusque adrepunt: pravis autem regis cupiditatibus morem gerendo opes sibi ac gratiam comparant. etenim nemo non cum Bruto sentiret, nisi plus se ex fortuna ac favore regis adepturum putaret quam ex industria et virtute: nisi, inquam, quod nec iure

suum unquam esse posset nec hoc rerum statu suum fore crederet, id alio statu aliquando se rapturum speraret.

## CCLXXV

Pro virtute quodam modo sepultorum sepulcra, non pro divitiis esse decet. tamen Licinum nescio quem cottidie videmus ea mole sepulcri premi quam vix principis sustineret dignitas. is autem apud Graecos mos fuit ut, cum ludi haberentur, eos deligerent qui positas victoribus statuas, si vera corporis mensura maiores essent, iure publico deriperent. quibus hodie quoque opus est, ut pro meritis monumenta sint eaque praecipue submoveantur quae solitudinem faciunt, societatem refugiunt, nec ubi vivi sedeant nec ubi ponantur mortui relinquunt. sane legem illam rex Scotorum Reutha et sapienter scripsit et ad coercendos sumptus providenter, ut quot quisque nobilium bello hostes interfecisset, tot in sepulcro eius columnae lapidesve longi et acuti statuerentur. quae si eos quoque lex amplecteretur qui in pace de cultu deorum deque re publica bene essent meriti, optimo iure esset hodie revocanda.

## CCLXXVI

Hesiodus poeta quo tempore fuerit incertum est. aequalem Homero tradunt veteres: de praemio scilicet artis poeticae inter eos certatum. Hesiodum autem, cum musicum, ut Graeci dicunt, certamen haberetur in ludis funebribus Amphidamantis cuiusdam, qui Chalcidensium rex fuerit, tripodem tulisse. patrem Dium Aeoliorum urbe Cyma oriundum maritimo et obnoxio casibus quaestu vitam toleravisse. vergente demum aetate cum Ascrae sedem posuisset, pavisse puerum Hesiodum greges paternos. Dio mortuo, inter filios Hesiodum ac Persen de patrimonio disceptatum, iudicavisse Thespiarum proceres et Persae patrimonium dedisse: quo de iudicio sic loquitur Hesiodus ut plane pecunia emptum

videatur, neque non veri simile est Persen, ut qui desidiose aetatem ageret et sumptuose, lautioribus fuisse notiorem. sed paucis post annis—adeo verum est illud, 'male parta male dilabuntur'—egens ex divite factus est Perses. ipse Hesiodus Ascra migravit: nec quo se receperit traditum habemus nec ubi terrarum vita excesserit. constat post mortem ossa Orchomenum translata, monumentum poetae in foro positum: Thespiïs quoque et in aede Musarum Heliconensi statuas in honorem eius erectas.

## CCLXXVII

'Vix quisquam in fabula est quem non sibi inimicum habeat Creo. inimici patres, ex quibus chorus conficitur, inimica plebs universa; obsistit Tiresias, adversantur sui. ille tamen nihil audit, spretos deos non desinit aspernari, donec et suos omnes in perniciem traxit et postremo ipse instar umbrae est.'

'Si tamen' inquam 'loquentem audias, facere vix possis quin ea agere credas quae non omnino ratione careant.'

Tum Flaccus 'istud' inquit 'ipsum et eximium habet Sophocles et fabularum scriptoribus maxime necessarium est. tanta ille facundia praeditos inducit, ea quisque sollertia quae petiverit vitaveritve audientibus commendat ut cum eo paene semper sentiant qui novissime verba fecerit. scias adulescentem Sophoclem orandi artem penitus didicisse, qua rerum omnium causas quae essent quaeque esse viderentur dispicere adsueverit.'

## CCLXXVIII

Sic autem ipse de adulescentia sua, de matris disciplina scribit:

'Patris memoriam etiam a prima pueritia ita animo meo, ita adfectibus inserebat ut poetarum locos nonnullos et ipsa mihi recitaret et ediscere me proferreque ex memoria iuberet,

eos praecipue, qui rebus suis sensibusque animi maerentis essent idonei: neque ullum saepius libentiusve quam totam illam Hectoris et Andromaches ὁμιλίαν, cum in aciem ille profecturus ab uxore discedit, quam Latine legebamus interprete Papinio. solacium, credo, adferebat cogitanti versuum eiusmodi repetitio, qui viduae suum maerorem, suam orbitatem revocare in mentem et inlustrare videbantur:

> quam miseram atque inopem degemus, respice, vitam
> orbus patre puer, coniux orbata marito!

et hos versus et ceterum sermonem fortunasque Andromachae cum audiret, res suas ita obversari sibi sentiebat ut lacrimis, quas me audiens profundebat, levari miseriae delenirique viderentur.'

Vix ausim dicere, ipsum Maeoniden, qualis fuit, a Papinio expressum. sed inest numeris Papinianis cum similitudo, fateor, tum mira quaedam fortitudo. quoties animum sua indole generosum haec erexit, quoties angoribus fractos solacio adfecit! certe salutare erat puero haec sentire, cum melior fieret potius quam mollior patremque suum cum eorum virorum memoria coniungeret in quos nihil posset temporis diuturnitas.

## CCLXXIX

Hunc in modum et ipse persaepe Homerus pictor idem ac poeta est: ponere ante oculos omnia ne tum quidem non gestit cum eiusmodi res geruntur ut properato opus esse videatur. Graecos ad Troiam pulsos speculatur ex Samothracia Neptunus advolatque auxilio. potuit, opinor, vel dimidio versu illuc ferri: sed Maeonidae hoc parum est: primum de monte deus, ubi sedebat, descendit: inde longis gradibus Aegas in regiam suam pervenit iungitque equos: mox eodem spectatore poeta arma induit: postremo conscendit currum et per summum mare vehitur. quae tantum abest ut longiora videantur ut singula nos magnopere

delectent. quid sublimius illo montium motu, quibus insistit deus?

et qua vestigia ponit
Salsipotens, montes longe silvaeque tremebant.

cum vero ad classem Graecorum rapitur, nonne elatis animis una rapi videmur?

hinc ascendit equos et verbere tangit et auro:
ipse sedet celsus—

## CCLXXX

Veterem comoediam maxime illustravit Aristophanes: eodem mortuo, cum exaresceret Graecorum libertas, et ipsa exaruit. successit deinde id fabulae genus quod ludicrum potius scaenicum appelles quam comoediam: neque tamen alio ex fonte comoedia nostra fluxisse dicenda est. depresserat Euripides tragoediam et multo propius quam priores ad vitae cottidianae veritatem adduxerat: hunc quoniam valde se admirari, hunc unum sequi ducem Menander ac Philemo testantur, licet certe fabulas eorum medium quoddam inter tragoediam et comoediam genus dicamus, non tragicocomoediam quidem, ex dissimilibus consutam partibus, sed unum opus et totum, suis rationibus, suis legibus innixum; ubique enim ita Menandri opus se a tragoedia discernit ut numquam, sicut vetus comoedia, cum ea pugnet, numquam adversetur.

## CCLXXXI

Apud iudices vero poetarum cum Graecos tum Romanos nemo Menandro acceptior fuit. fuerint ex aemulis qui vi et robore antecellerent, victus sit interdum in certamine, cum ad tempus aptiora ferrent alii, sicut et ipsum Aristophanem antea Nubes et Aves frustra docuisse accepimus: nemo tamen erat qui inter poetas qui id aetatis erant primas Menandro non deferret. quem qui cum Aristophane componit Plutarchus, seniorem autem illum tamquam lite victum dimittit, supervacaneum sane facit. non idem uterque sibi proponebat, non eadem materies, non tempora fuerunt.

collaudatum vero a Plutarcho Menandrum non est cur miremur: scripsit enim eo tempore Plutarchus cum Maecenatibus suis Atticus ille lepor sermonis quam maxime placebat.

## CCLXXXII

Cum multa multos per annos et in laudem vivorum condiderim carmina et in memoriam mortuorum, hoc utique ea respicienti gloriari licet, hoc multum adfert voluptatis, quod cum omnia percenseo, perpauca quae mihi revocanda videantur, nihil prorsus cuius paenitendum sit invenio. illud autem vere mihi dicere licet, quod dixit Catullus, in amicitiis asciscendis felicem me fuisse: licet etiam adicere, sicut Catullo, si tanti putasset, licebat, haud minus inimicitiis quam amicitiis fuisse me felicem: quod etsi quanto minoris sit vix narrari potest, non tamen ei, qui prudens sit recteque sentiat, potest omnino neglegendum videri. immo vero semper dis gratiam habere sibique ipse gratulari debet is qui hoc ex animo sentit satisque perspectum habet, eos sibi et amicos et inimicos contigisse quos ipse, si eligendi sibi facultas fuisset et futura providendi, iam ab ineunte vitae curriculo fuerit electurus.

## CCLXXXIII

Non mihi in animo est aut amplius hic de arte poetica qualis sit inquirere, quod nimii esset laboris, aut, quod nimiae adrogantiae esset, scribere poetis leges. illud accedit quod in saeculo omnia excutiente, omnia perpendente tam multa de his rebus tot homines exaraverunt ut tota res ceu crambe repetita fastidiatur. qui autem apud Gallos faceti sunt, aut facetos se esse volunt, et acerrime iudicaverunt et leges posuerunt accuratissimas; neque tamen, ut mihi videtur, multum profecerunt. quid enim causae fuerit nescio cur non regulis Aristoteleis Flaccique praeceptis essent contenti verterentque haec potius quam commentariis instruerent: nihil enim de suo adiecerunt: ut potius se ipsos venditasse his scriptis videantur quam alios reddidisse meliores. verum

enimvero arti poeticae nescio quid inest protervius quam ut tot regulis constringi possit: eiusmodi igitur vincula qui inicere conatur, neque vim eius recte novit neque venustatem, quae gignuntur semper, neque umquam, ne ab optimis quidem magistris, discuntur. consimili, credo, ratione, ut mel eximium facias, praecisis apes pennis intra alvos seu praesepia sua contineas floresque eos proicias quos dulcissimos esse existimes optimumque reddituros liquorem. quin potius evellas aculeos et prorsus in fucorum numerum redigas?

## CCLXXXIV

Novum hoc carmen quo plausu sit exceptum, ipse in exordio, quod editis posterius operibus praeposuit, sic exponit: 'huic' inquit 'carmini tam mirum mehercule in modum plaudebatur, ut ipse id temporis hoc mihi persuasum haberem, in volubilem illam Fortunae rotam aliquando clavum me infixisse. credo equidem, eo apud populum existimationis eram provectus ubi consistendum prudenti homini vel certe timido visum esset et ab eis laboribus absistendum, per quos detracturus citius de fama mea quam eam aucturus essem. verum enimvero—sicut Cleonem ferunt Atheniensem dixisse, ne tum quidem, cum tota urbs *ἐκλεώνιζε*, *τῶν κλεωνιζόντων* se ipsum fuisse—sic ego de me liquido adfirmare ausim, numquam meis me carminibus magnopere favisse cum vehementissime multitudo faveret. neque tamen hoc quisquam credat, aut tam ingrati animi me fuisse aut tam candidae libertatis ut contemnerem eos minimique facerem, quorum suffragio in locum tanto altiorem quam mea meriti mei conscientia essem evectus. immo vero populi potius beneficio me devinctum sentiebam, ut qui a propenso quodam erga me studio id adeptus essem quod merito meo frustra postulaturus fuissem: itaque hoc me studio dignum praestare sic conatus sum ut, si quid ad eos oblectandos facere possem, non desinendum sed perseverandum existimarem.'

## CCLXXXV

Aliud insulsitatis genus non in moribus neque in sermone apparet sed in scribendo. nam, sicut ingenia nostra haud facile cognoscimus, sic scripta sua scriptor haud facile tanti, quanti re vera sunt, aestimat: liberis similia sunt, quos non eo animo parens quo alii ignotique intuetur: nimium in eorum amorem delabimur. multa autem vitia sunt quae stilum sumentibus obrepere solent. nam aut de industria splendescere volunt, quo nullum peius genus est scribendi: aut rebus exiguis multa verba, pauca magnis impendunt, et quicquid forte sciunt, id ad rem pertinere arbitrantur: aut, quod in scribendo maximi est, id neglegunt parumque curant, ut aliud ex alio, prout ratio ferat, nectatur: aut insignem nescio quem scriptorem imitati, Ciceronem, puta, vel Tacitum, nihil nisi risum movent cum et a se ipsis discedant et, quod incipere vix fuit tanti, id ad finem perducere nequeant. neque inscite adulescens quidam, qui ad scribendum se accingebat, sic admonitus esse dicitur, ut in scriptis suis si quid praecipue enitesceret delendum putaret. quod cuilibet certe nostrum faciendum est, ut 'nigrum praefigere theta' paratus sit si qua similitudo vel figura praenitida aut rerum seriem disiunget aut a totius operis ratione aliena esse videbitur.

## CCLXXXVI

Hic et in rebus iucundus est et sermone utitur in carminibus accurato. nempe eo tempore ad pangenda carmina accessit cum poetarum sermo ad summam excultus erat urbanitatem: qui ex illa eius aetate paullatim fit deterior. mireris certe, postquam sic operam dederunt Vergilius, Varius, Horatius ut sermonem patrium meliorem redderent et numerosiorem, sic elaboravisse posteros ut in pristinam eum feritatem retraherent. qui tam infeliciter audaces sunt ut non modo verba ac locutiones situ obsitas in lucem eruerint,

sed haec etiam sibi permiserint ut transgressiones vix ferendas, durissimos verborum nexus proferrent, frustra scilicet opinati, quanto longius a soluta oratione scripta sua recesserint, tanto carmini esse propiora. sua quadam lingua cum loquantur, ut sibi plaudant homines postulant. tacent qui non intellegunt: qui quid velint dispexerunt, laudare volunt ut intellegere videantur. carent omnino his ineptiis deliciisque Tibulli carmina. non ille alium carminum, alium vitae sermonem esse credidit: fervidus sensibus, sermone quam maxime simplex est.

## CCLXXXVII

Est autem et alia societas, est cum libris, non hominibus. de qua cum multa disceptanda sint, est illa quoque sui alienique disceptatio. audivi enim poetam de altero poeta conquerentem quod se imitatus esset: quae lis si ad me iudicem delata fuisset, hanc fere edere ausus essem sententiam, ita expendi haec furta, has imitationes oportere ut quid arti poeticae, non quid singulis poetis profuturum sit quaeratur: hactenus utique poetis consulendum quatenus et arti idem conducat. multa Maro surripuit, neque a Graecis solum, sed etiam ab aequalibus, qui paullo ante nati sunt, suis et ab aliis qui Latine carmina condiderant: multa a Naevio Ennioque furatus est, multa a Varrone Atacino et quibusdam aliis. et fortasse fateri melius fuit quae eis referret accepta: sed illis temporibus neque commentarium carminibus adicere moris erat neque quae quis scripserat mancipio sua esse existimabantur. Maronem vero noluerim ab his latrociniis manum abstinuisse. nam carmina eorum, a quibus haec sumpsit, multo citius, credo, in oblivionem venient quam Maronis: itaque nonnulla eorum, quae scite venusteque excogitaverunt, defosso, ut ita dicam, sepultoque operum corpore, exstabunt tamen et 'Hyblaeo' perfusa 'nectare' durabunt.

## CCLXXXVIII

Minime equidem illud dico, si quid poeta finxerit vel pictor, id ex ipsius vita spectari debere probarique aut improbari prout ipse probus improbusve sit. neque illae mihi exoptandae videntur pedisequi cubiculariique partes, cui scilicet ex propinquo spectanti 'eripitur persona, manet res' fitque ex Achille vel Alexandro illo Macedone homunculus quidam τῶν τυχόντων. tam enim sordidi animi hoc est quam vitae ac consuetudinis servilis. sed qui id agit ut fleamus vel irascamur, nostro iure postulamus ut aliquo saltem et ipse dolore, quantuluscunque sit, commoveatur: quis enim, quod a natura concessum est, vetabit, ut pictam intuentes flammam, licet manu sollertissma illiti sint colores, frigore tamen horrescamus?

Verum tamen, si in hoc omnes propensi sumus ut quomodo quisque vixerit, quid identidem egerit, inquirere ac speculari gestiamus, id ex ipsa hominum natura tamquam fonte fluxisse existimandum est. non enim quod percontatores sumus, non quod sermonum avidi, hoc evenit, sed altiore ex sensu ac fere laudabili. evenit enim quod quantamcunque ingenii praestantiam morum gravitati posthabemus.

## CCLXXXIX

Rem unam egi: unum alterumque librum condidi, quos fore ut situ coopertos iacere sinat posteritas aegre equidem crediderim. famam quidem nihil nisi animam inanem esse aiunt. sed nec vivi sine anima, nec sine gloria bene vivi potest. atqui haud scio an omnia quae elaboraverimus, quae evigilaverimus, aliquando sit obruitura oblivio. qualem doctrinam quantamque, quae ante Homeri tempora fuit, periisse existimandum est! nec enim rerum naturae consentaneum est, ut quae prima procudant homines, sive artem sive scientiam aggressi, eadem sint absolutissim· absoluta autem est Ilias: quae mihi quidem tamquam ex Deucalioneo

aliquo diluvio videtur esse servata. sane invitus hoc crederem, ut saepius te audiente dixi, fieri posse ut ad quinque annorum milia urbem nostram possideat hostis; cum tamen mecum illud reputo, omnium gentium milites sub signis III virorum militare, eos autem omnes promptiores ad evertendam urbem esse quam ad servandam cives, hoc ipsum mihi ut intra quinquennium fortasse eventurum obversatur.

## CCXC

Praeter haec et illud habet noster memorabile. nam sicut lumine non suo, lucet tamen luna, sic poetae nonnulli, aliena poemata secum meditati, proprium tamen nescio quid inde effinxerunt, quod, ut simile illis est neque umquam, nisi illa fuissent, extitisset, ita tantum ab eis discrepat ut novum re vera sit, non vetera imitantis aut aliena surripientis, sed sua, neque tamen sine auctore, procudentis. multa eiusmodi habet Propertius, quae neque sua prorsus neque non sua sint: vix apud quemquam plura invenias. cuius optimum quemque versum sunt qui unde fluxerit summo labore investigent: similes aliunde proferunt, quos scribenti praesto fuisse conicias. neque a Vergilio eidem manus abstinent: navant operam pariter, parem percipiunt fructum. quae legerit multis in locis deprehendunt: neque in similitudinibus tantum certis manifestisque exemplis—quod quotus quisque non possit notare legentium?—sed in ipso velut filo cogitationis, in ipso sermonis colore. qui saepe, credo, quae ipsum fefellerunt inveniunt. nam mens eiusmodi, qualis Vergili fuit, innumeris priorum imaginibus locupletata, saepe ita velut exardescit ut quae quemque ignem fax incenderit nesciat. quippe optima quaeque mentibus nostris velut per somnum contingunt. ubi expergiscaris, adsunt: plerumque autem tanti non est unde venerint scrutari: illud potius agamus ut inventa accommodemus ceteris et edolemus, edolatis quam optime utamur.

## CCXCI

Omnes fere poetae poetis qui antea fuerunt aliquid referunt acceptum. ipsum Homerum sunt qui ut aliena decantantem incusaverint: tantundem paene in Bucolicis a Theocrito sumpsit Maro quantum in Heroicis ab Homero: utrumque si epicus noster superavit, non aliter id effecit quam quod ab alis illorum pennas nonnullas furatus est. fabularum vero scriptoris vel unica indoles fuit. ita enim litterarum scientia caruit ut ignorando plus posset: nam suis opibus, quae infinitae erant, uti cogebatur. fuerit, inquam, imperitior litterarum quam qui ex veterum libris praedaretur: plus illi mens sua suppeditabat, ut nihil alieni expetendum esset. dissidet ille a ceteris poetis, sicut a ceteris maribus mare Caspium discretum est, et, sive refluit sive aestu pleniore fertur, sive placidus sive procellosus est, suus semper est. verum tamen tot apud eum sententiae sunt quae ad res omnes, omnem vitae condicionem ac colorem aptae sint, ut generis humani *κτήματα*, non poetae ipsius mancipia sint. has adhibent omnes, nemo adserit: ancoris similes sunt, quae graviores sunt quam quae a furibus tollantur.

## CCXCII

Scio equidem et mihi ipsi et multis aliis miram quandam percipi dulcedinem ex eis magnorum locis poetarum, Lucreti, puta, vel Vergili, in quibus quod prior finxerit poeta in carmina sua adsciverint, nova adfinxerint, denuo exornaverint. sed vereor ne succrescat nobis infelix quaedam hominum natio, commentariolorum venditores suorum, Philetae canes, qui multa memoria teneant, nihil novi pariant, talemque, quales ipsi sunt, poetam esse credant, infecundam scilicet indolem, annosum aliquod volumen obstipo capite scrutantem, si quid forte insit quod surripere possit. vin tu 'claudite ostia' dicere? vetant: surreptum scilicet a Catullo. quid? fremere Oceanum? quod cuivis facile in mentem venire

potest. versum ipsum Homeri Flaccive, ita vivam, indagant, unde id scilicet sis furatus.

## CCXCIII

Qui amici sint futuri, neque opus est ut prorsus similes sint neque multum id, credo, confert ad amicitiam. quae ut integra et absoluta sit, nosse quidem penitus alter alterum possit necesse est, necesse est indolem uterque habeat similiter similique filo informatam. sed maior ex sententiis animique motibus comparandis oritur voluptas cum est aliquid in simili dissimile. nempe inter eos amicitiam maxime fieri censet Epicurus quorum idem sensus sint, non eaedem sententiae : plurimum tamen prosunt beneficia invicem sermonisque comitas. Aristotelem Plato dilexit; neque magis amicus erat Ciceronis Atticus quam senis miselli Tyrannionis.

Ut ad rem revertar, iterum Sophocles Euripidesque collocuti sunt : convictores tandem esse coeperunt et quo saepius congressi sunt eo magis inter se diligebant : socii, amici facti sunt : societatisque hanc concordiam eo confirmatam, quod toties posthac unum idemque agebant, unum expetebant, nihil tandem nisi mors diremit. multa Sophocles dum vixit fecit praeclare : nihil praeclarius quam quod talem se erga Euripidem praestitit. dicuntur quidem scriptorum amicitiae in lubrico versari neque saepe fieri : neque enim diuturnae sunt amicitiae de sua utilitate aemulantium, hi vero de ea re aemulantur quae et incerta sit et tenuis et fluxa, de favore, inquam, populi aemulantur, animo morem gerunt antecellere aliis, ne dicam se ostentare cupienti : solet autem ostentator sui sibi uni consulere, facile irritari, exarescit humanitas sensusque communis.

## CCXCIV

Tum Archias, 'illud' inquit 'haud iniucundum est animadvertere, qui prius tam insulsi fuerint, Romanos nunc

studio veritatis flagrare neque primis, ut dicitur, labris doctrinam sed altius hausisse. mihi vero simul recordanti quomodo in libros meos paucis abhinc annis ab obtrectatoribus illis quos nosti saevitum sit, simul reputanti ut de litteris Graecis meritus sit Cicero, mirum sane videtur quantum in melius sit profectum.'

'Nihil equidem magis' inquam 'in Cicerone veneror quam animum et ingenium, ex quibus velut ex fonte nascuntur quae temptat perficitque omnia. hoc illi semper antiquissimum est ut erudiantur populares sui: in libris vero peregrinis, quos se interprete suis esse notos cupit, non id agit ut elucere possit scriptoris sollertia, sed ut legentium virtus accendatur.'

Adsensus est Archias et 'nihil ille' inquit 'non optimo animo adgreditur. quam gravis vir! quantum nostratibus impendit operae! litteras mehercule nostras paene melius tenet quam nos ipsi.'

## CCXCV

Neque deflenda est mors Sophoclis nostri, ne illis quidem qui ipsum hominem ex animo dilexerunt: immo vero, quo ille animo omnia spectabat, eo accipienda est, ut divina paene res ac plena maiestatis. eadem omnium sors est ut aliquando moriantur. huic autem iustum vitae humanae spatium di concesserant atque eum cursum, id munus suscipiendum, quale paucis ex tot hominum saeculis tribuerunt. quid aliud sperandum erat, quid aliud postulandum quam ut e vivis nunc demum avocaretur, quam ut laboribus qui obtigerant perfuncto discedere liceret? neque ille cursum solis cursui dissimilem tenuit—hac enim laude praeter ceteros dignus est—neque non soli similem habuit occasum. nam sicut igneus hic, quem videmus, sol instar oculi est ceteraque illustrat atque ostendit, sic mentibus nostris id carmina efficiunt isque praecipue poeta qui omnia videt, quem omnes audiunt gentes canentem. vita, inquam, illius diei, quem sol conficit, comparanda est. venusto sane ortu aestivus ille sol processit, in

fervente splendens ac rubescente caelo, eiusque adventu diffugere, qui multi fuerant, lemures nocturni palustresque, quae crebrae extiterant, caligines : potens idem ac benignus, dum meridie collucet, ceu victis hostibus per altissimum caelum progreditur. nunc vero qualis occidat qualique occasu contemplamini, quam, egregius, quam nulli non venerabilis mortalium.

## CCXCVI

Quod 'caeruleam veris volucrem' per saturam in iudicium rapis, haec reus : accidisse quondam mense Martio ut ad rivi ripas, quae altae essent, ambularet : vidisse se sub nudis fruticum ramis, paene sub pedibus suis volitantem sive iter liquidum radentem alcedinem : venisse in mentem verba poetae Graeci veteris *ἁλιπόρφυρον εἴαρος ὄρνιν* lyrico carmine commemorantis, seu purpureo maris colore imbutam avem seu maris splendore splendentem ; quam plerisque esse alcedinem videri. utrum eadem sit avis Graecorum *ἀλκυὼν* et alcedo nostra, decernere se non posse : sed, quoniam in hoc quidem rivulo numquam ante mensem Martium alcedinem viderit, videri sibi, durante saevitia hiemis ad mare eas descendere, ineunte autem vere rursus ascendere. testem adhibet senem illum Boeum, *Ὀρνιθογονίας* auctorem :

*ὥρην χειμερίην μὲν ἐπ' ἠιόνεσσι θαλάσσης*
*κηρύλος, ἐν δὲ θέρει ναίει ποταμοῖο παρ' ὄχθας,*
*ἀσπαλιεύς, πάνετες δ' ὅ γε δαίνυται ἔλλοπας ἰχθῦς.*

quae sic Latine, puto, vertit Macer :

dum riget acris hiemps, alcedo in litore ponti
sedem habet : aestivi sed cum rediere calores,
fluminis ad ripas : cenam sibi semper eandem
e salso et dulci pariter fert gurgite piscem.

## CCXCVII

Praecipue autem tum adhibendus est modus, cum montes vel muri vel fluvii describuntur, ne simul facundiam tuam

inepte ostentare et neglecta historia tuam rem agere videaris; illud potius agendum est ut cum tantillum quanto opus fuit descriptionis, ne res obscura sit, adieceris, alio te vertas devitato velut visco rerum et eiusmodi deliciis prorsus contemptis: id quod vides Homerum, quo animo ille fuit, fecisse; qui cum poeta sit tamen Tantalum et Ixionem et Tityum et ceteros strictim percurrit; quos si Parthenius vel Euphorio vel Callimachus induxisset, quot versibus opus futurum fuisse putas ut aqua usque ad labra Tantali duceretur? quot, ut Ixion in rota volveretur? quin potius ipsum Thucydidem contemplator, quaeso, quam parce hoc genere orationis utatur: quomodo statim absistat postquam machinam aliquam vel obsidionis speciem satis significanter descripserit, rem et necessariam et utilem, formam, puta, Epipolarum vel portum Syracusanorum; nam cum pestem illam Atheniensem describens videtur esse longior, rem ipsam tu considera; sic enim celeritatem agnosces scriptoris, quem currentem retineat tamen et moretur ipsa eorum quae acciderunt multitudo. orationem autem habentes si quando inducere necesse erit, omnium primum quae propria personae sint et ad rem apta dicantur, deinde ea ipsa quam lucidissima; quamquam hic quidem liberius grassari et artem oratoriam praestare permissum est.

## CCXCVIII

Multis in sermonibus, quos annis illis tam iucundis habuimus, de arte poetica praecipue loquebamur, qua de re nihil ille quidem nisi quod suum esset proferebat. scires ad hoc natum ut quod in rebus pulcri est discerneret aliisque ostenderet. ne verbum quidem umquam, quod obtrectantis esset aut aliis invidentis. dissimilem sane sui poetam, Moreti auctorem, certissimis efferebat laudibus: esse ei commiserationem, sed duriusculam. neque in quemquam, nisi se ipsum, asperis iniquisve verbis invehebatur. 'confer, amabo' inquit 'manum meam multa inscite molientem cum Galli facilitate ac subtilitate: δὶς τόσση δὲ μετ' ἴχνια νίσσετο

πέτρῃ!' alio vero tempore carmen recitaverat a nescio quo ex cantoribus illis Euphorionis conditum, Acmen, credo, et Septimium Catulli, quod Varius quoque in silvis errans insusurrare sibi solebat 'quid quaeris?' ait 'omnia nostra libenter proicerem, ut unum eiusmodi carmen conderem.'

## CCXCIX

Horum annorum Ephemeridas sic condidit senior, ut nihil eiusmodi exstare putem, si omnium saeculorum litteras percenseas, quod generosius sit ac pulcrius. usquequaque enim elucet simplicitas hominis et sinceritas. neque de se neque de opere suo frustra est. certior fit de se rebusque suis adversis loquentem Gallum inlacrimasse: hoc a se ipso abhorrere non dissimulat: 'equidem' inquit 'si illic essem, flere non possem': agendo se quam dolendo aptiorem, potius opem ferre quam solari solitum. alio loco de scriptis suis ita dicit, satis se scire, si quid his insit probabile, sive carminibus sive orationi solutae, festinationem esse quandam et candorem scribendi, quae placeant militibus, placeant nautis et si qui audaces impigrique sint adulescentes. neque hic consistit, sed adicit, fateor, quod aspernantis est—id quod abesse a tanto viro facile patiaris—non sub umbra se sedisse suspiria trahentem, non illa conscripsisse

> sibila pastorum, lusus levioris avenae,
> dulcisonos numeros, vacuae oblectamina mentis.

paucis post diebus de Calvo poeta sic scribit, nimia erga se calumnia sibi eum nocuisse. dicas hic forsitan: parum alios respexit, nimis sibi placuit: neque iniuria. nam ut sint ampla ac generosa quae ipse inconsulto profudit, scire tamen debuit, aliorum alias in scribendo esse rationes.

## CCC

Ecquid tecum Manilius de opere praeclaro quod me auctore susceptum sic exorsus est ut iam satis scire debeat, de suo

ingenio verius me quam se ipsum iudicavisse? prima epistula, in qua ita hominem hominisque sedem tractat ut ad universam simul rerum compagem respiciat: secunda, in qua hominem in se spectatum, inter homines versantem, suas incolentem sedes: tertia, in qua ostendit quemadmodum

rerum una atque unica causa
foederibus variis finem festinet ad unum:

ut cohaereant invicem et respondeant homines, pecudes, sata, tamquam necessariae et inter se partes et ad summam explendam; quibus initiis ortae sint hominum societates; quo ex fonte fluxerint et cultus veri deorum et civitatium administrandarum rationes; qua lege nobis non aliud quod intersit, aliud quod oporteat constituerit deus, sed vinculo haec sempiterno coniunxerit; hae tres, inquam, epistulae absolutae sunt. in quartam nunc maxime incumbit. praeclara materies: causam dei agit, ut cum Seneca loquar, contra crimen illud tot saeculis ab eis iteratum qui nolunt esse deos, inique scilicet a dis bona, si di sint, dispensari.

## CCCI

Contigisse mihi gaudeo ut una rure essemus, apud eundem scilicet hospites. nusquam festivius quam tali in secessu ingenium eius elucebat: et dicere libenter et audire, facilis sane adfatu. incidit sermo de notorum carminum locis obscurioribus, qualis ille Rufi esset:

testisque verax, cui liquidum melos
non una forti chorda sonat lyra—

vel ille Valgi:

lux redit tandem nova, nota pridem
ora recurrent,

quos ipse scriptor interrogantibus expedire aut non potuisset aut noluisset. hic Asconius colloquium illud Domiti Quin-

tilique referebat, de primo versu libri qui Viator inscriptus est disputantium:

solus, inops comitum, tristis tardusque ferebar:

cum nescio quis e corona interrogasset gressune tardum dicere voluisset, poeta autem id ita esse respondisset, interpellasse Quintilium 'immo vero non gradiendi tarditatem tu quidem dixisti, sed mentis eam pigritiam quae homini, cum solus est, inrepere solet.' haec ex Vita Quintili ad verbum recitabat Asconius: gustare pulmentarium diceres. hospes autem, qui discipulus eius fuerat, postea nobis pro certo sibi esse dixit totum librum ab eo memoria teneri: de nullo aut loqui saepius aut scribere.

## CCCII

Ad id autem perficiendum, quod sibi proponebat Cicero, et voluntas qua opus aggressus est peridonea fuit et ingenii quibus pollebat artes. nempe versuta indoles et acuta, celeriter omnia intuens, in eligendo componendoque sollertissima, qualis scribendo concalescit et uberrimam fundit exemplorum copiam. igitur et adripiebat ea quae maxime grata essent auditori et adrepta ita conlocabat ut maxime ferirent animum et vividissimis idem et maxime pellacibus inducebat coloribus. quotus quisque ea scripsit quae et facundia splendescerent neque umquam carerent prudentia? 'at enim parum sunt profunda.' sane fatendum est: nam 'flumina' ille quidem 'libat summa levis' potius quam ad ima pervenit adeoque τῶν πιθανῶν εὐπορεῖ ut neque patienter singula scrutari neque ἀποδείξεις via ac ratione sectari possit. sint tamen ista omnia: fuerit minus quam alii multi in cogitando audax, fuerit lentior ad rem animo amplectendam, defecerit quoties iusta ac longa disceptatione esset utendum; illud tamen meminerimus oportet, qui optima quaeque sentiat, nisi idem ea optime ostentare possit, minus esse eis probabilem solere qui nondum ne summis quidem labris scientiam attigerint: qui autem inter se cohaerentia proferat unamque

struat compagem, eum vix libere posse grassari: obscurum fere eum evadere qui in profunda descendat. trahebant autem Romanos vel ideo maxime Ciceronis scripta quod aberat illa nihil non perpendentium ἀκρίβεια.

## CCCIII

Aliud epici carminis, aliud fabulae argumentum: hoc breve densumque, illud amplum ac multiplex. utriusque autem ut diversa condicio et origo est, sic crescentium iter ac tota ratio discrepat. hodierna et instantia Sophocles, praeterita otiosior Homerus: longinqua repetit epicus poeta, latissime qua libitum est vagatur. acta canit. non sunt ista, sed fuerunt. finge apud priscos homines decantantem: non et ipsi et auditoribus mirum quantum ad dicendum audiendumque suppetit temporis? sic Ulixi rex ille Phaeacum, 'quare age' inquit

> 'nox etenim nobis longissima, necdum
> tempus adest somnum ut placidi carpamus in aula,
> tu mihi tantarum narra miracula rerum.
> usque etenim, pandet portas dum exorsa diei
> luciferas Aurora, tuos audire labores
> vellem equidem atque libens te sic narrante morarer.

talem animum, tales auditores sibi exoptet epicus, per noctem audituros postridieque ad subsellia sponte redituros.

## CCCIV

Indolem igitur non omnem sectabitur fabularum scriptor: relinquet lyricis eam quae effundit se tantum, quae rapitur ira vel amore. agentium—quos inducat oportet fabula—vivida quaedam indoles et audax est, quae sibi res subiungat, proruat obstantia, luctando militandoque gaudeat. et velit necesse est quae sentit et quae vult efficiat. perraro enim fit, quod in Aiace Pacuvii videmus, ut fabulam praebeat is qui ingenii acumine simul et inertia incitamentis eis quibus ceteri

cedimus resistat. hic autem non fortis ac permissa sibi voluntas rem gerit, sed ut in somnio refrenatae inhibitaeque voluntates: ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται—. talis Aiacis apud Pacuvium strenua inertia est, ut nihil agendo multum tamen agat. non impelluntur tantum haec ingenia: impellunt, resistunt. sed quotus quisque apud eundem Pacuvium talis est? fortes plerique, imperiosi, quibus militiae instar vita est. quicquid agunt, eo se totos impendunt, hoc cogitant, hoc volunt. quid mirabilius illo animi impetu, illa fortitudine ruentis in exitium Thyestae?

## CCCV

Pravitatem vero tam fortem et imperiosam non cuiusvis est inducere scriptoris. induxit Pacuvius, sed quo periculo! qua iacta alea, cum in unum Tarquinium oculos spectantium convertere est ausus! nec ausus hoc esset ipse Pacuvius provectior aetate sollertiorque. nihil eiusmodi Graeci; nusquam penitus corruptam indolem, crudam, inhumanam, quae omnia cum flectat quo velit tum velut spectet extrinsecus vitamque hominum salse crudeliterque inrideat. quam dispar hic Aegistho! qui nihil magnum molitur, grassatur in tenebris, insidiatur ea sollertia ut paene divinitus, sicut apud Homerum ille Autolycus, astutia praeditus esse videatur: qui nec odio nec ira motus saeviora irascentibus facit, Tarquinio malevolentior est, gaudet ipsa pravitate. Tarquinium quoque nulla religio tenet: nudo scelere se iactat: sed tamen et rex est et rege digna rerum peritus expetit: atrocissima quaeque ita fingit proculditque ut opus absolvere callidus artifex, non iugulare hominem latro videatu.. hebescit obdormiscitque spectantibus ea, qua recta ac prava notare solemus, religio: iam 'vos plaudite' audimus nec scelestum hominem spectasse nobis videmur, sed validum ac potentem.

## CCCVI

Somniantis haec sunt, veritatem ac res ipsas numquam

respicientis. neque indignari potest honestus spectator, quia ne in scaena quidem plectitur honestus. si recti pravique normam adhibeas, leves pariter improbaeque sunt omnes quae in his fabulis versantur personae: aut dormitavit scriptor, cum bis terve probam adhibuit. maxime autem in hoc elucet ars Caecili quod, si pauca excipias quae in Ampeliscae persona non sibi tantum consulentis sunt, non modo perfectae virtutis imaginem, sed ne aspirantes quidem ad virtutem vel sensum communem prae se ferentes induxit. quod sive de industria fecit sive nullo consilio, forti fortunam—si fortitudo ea, non temeritas fuit—fatendum est non defuisse. equidem mirari solebam quibus illecebris ea praecipue fabula, quae Anthropopolis appellatur, ita spectatorem teneret ut quos flocci faceret—neque enim amore nos personae Caecilianae neque odio afficiunt—eorum res ab initio usque ad exitum tam intento animo prosequeretur: quia nemo est, credo, qui non susque deque sit, idcirco omnes placent aut non valde displicent. quaecunque enim finxit Caecilius, his omnibus non dicam densissimas offudit tenebras improbitatis, quod dictu asperius est, sed probitatis certe lucem undique obstruxit ademitque: spectanti volitant ante oculos umbrae quaedam, alia alii persimiles, ut nullam habeas ceteris potiorem. quod si honestam personam induxisset, ut semel tantum indignatione spectator exardesceret animumque ad veram vitam veraque officia converteret, si velut media in Libya fanum Hammonis virentemque herbam conspexissemus, quid aliud quam vitia multa illustravisset, quae nunc deformia, quia ne videntur quidem, non sunt?

## CCCVII

Hanc fabulam si a scaena remotus ad normam fabularum exegeris, habere ea videbitur per quae fabulae probari solent. est argumentum, actori quod agat est; non sales, non mores desunt. ipse autem in exordio scriptor nihil sibi ait fuisse antiquius quam ut mores exprimeret. inducuntur igitur tres adeo quae novae videantur personae: Megalocompides, qui,

quod noverit scilicet proceres, quos nullus novit, nihil non amicis pollicetur: Mempsimoerus, qui ex minimis indiciis maxima semper mala auguratur, sibi tamen uni consulit, suo nutu cuncta agi postulat, quae persona ad exemplar Suspirii, quem in satura posuerat Ennius, informata est: tertius est Melitoglycides, quem ita finxit Terentius ut inconsultissimae comitatis hominem ostenderet, inertem paene indolem, nihil sodalibus suis negantem, sive amicam sive nummos poscunt, neque non in suspicionem venit tamquam in huius moribus depingendis suos interdum expressisset. collaudabat hanc fabulam Laelius et inter optimas earum ponebat quae eo saeculo in lucem prodiissent: neque non ut plausu exciperetur sollicitus erat. nullam Lucilius Euethizomeno meliorem datam esse comoediam aiebat ex quo Moechontimorumenos in scaenam venisset: nam Accizomenam, quae id temporis contendere cum Euethizomeno atque adeo gratior esse spectatoribus videbatur, carere moribus praedicabat.

## CCCVIII

Hac autem ratione grassatus poeta nostras illud quoque adsequitur ut nullam non vitae imaginem inducat: ponit ante oculos et regum vitam et castrensem et umbratilem sapientium, urbium strepitum et frequentiam, solitudines agrestes silvarum, multarum, inquam, rerum locupletissimas pulchritudines, quales alter ille excudere non potuit: dat habenas lasciviori et uberiori quam quod Menander habuit ingenio. hic contra, cum in hominem intenderet oculos, hominem autem, qualis in regum atriis versatur urbiumque maximarum lautiore, quam natura fert, vita, omnia quae in homine sunt tam accurate expressit, sicut ungues faber et 'molles aere capillos' ut cum genera vel exempla hominum poneret, singulos quos ipse novisset ponere videretur: adiecit etiam tamquam condimenta sententiolas sagacissimas et praecepta prudentiae. alteri eiusmodi ingenium erat ut magna et exstantia potius adumbraret quam minima quaeque sectaretur. genera potius hominum

inducit quam homines. novit unde nascantur cupidines fervidissimae: tractat idem, neque poeta comicus esse desinit, et audaciam regnare volentium et ultionem cupientes et amore summo penitus devinctos. unde fit ut nonnullae ex eius fabulis, quae maxime laudantur, qualis est Emporos ille Byzantios et Antitimorumeni, gravitatis nescio quem colorem duxerint neque aliter a tragoediis discrepent nisi quod *εἰς εὐτυχίαν τελευτῶσιν*. contra id agit Menander ut nihil in fabulas admittat quominus quod in comoedia praecipuum est, risu tenere auditorem, efficiat. qui si quando pravitatem potius quam stultitiam, sicut in Epangellomeno, insectatur, quod raro facit, sic eam ostendit ut risuri potius sint spectatores quam ira exarsuri.

## CCCIX

Mira oratio: equidem nondum perspicio quid voluerit poeta, quod eius consilium fuerit, qualem Bruti indolem designaverit. nam mehercule—sic saltem mecum ratiocinor, nondum fortasse penitus re excussa, cum interim expertus sciam quam saepe, quae vitia visa essent, aliquando veneres esse intellexerim—minime talem fuisse Brutum ab historicis acceperamus, minime eo descensurum eum, Platonis et Stoicorum auditorem, interfectorem tyrannorum, veteris Romanorum rei publicae pervicacissimum defensorem, ut haec, quae apud poetam sentit, sentire possit: neque regnum se neque ab uno Caesare regi res Romanas improbaturum, modo talem se Caesar regem praebeat qualem tunc quidem se fore promittat. illud autem quo tandem pacto dicere Brutus potuit, nihil se quod condemnet in ipso Caesare, nihil in eis rebus quas egisset invenisse? non Rubiconem transierat? non urbem victor intrarat? non Gallos in senatum duxerat? at enim haec in lucem non protulit noster: fateor: sed id ipsum, cur non protulerit, admiror. qualem, inquam, hominem esse Brutum voluit?

## CCCX

Qualem autem inducit poeta Antonium? ingenio pollentem, carentem constantia: indole minime exili, delicatum, propensum ad voluptates: modo recta, modo prava capessentem: magnas sibi in vita tamquam in ludo aliquo partes esse sustinendas putantem, summo lepore, summa sollertia sustinentem. inservire potest non causae ille quidem, sed homini, atque adeo obsequi unus novit, sed Caesari, sed Cleopatrae. nam magna ingenia summo studio colit, contemnit imbecilla et inepta, quale est Lepidi, qui videtur Antonio

homo minumi preti,
qualem obsonatum mittas ad forum, levis,

quem mancipii potius quam hominis loco habeas. minime autem sui mirator est Antonius, ipse sibi repente displicere solet: minime mores suos ut exemplar suspicit virtutis: versutus est, nihil non intellegere, nullis non affectibus moveri potest. artes igitur a suis diversissimas magni facit: Bruti ad Philippos caesi laudator exsistit Antonius.

## CCCXI

Ducitur ob aes alienum Ventidius, mittit qui quinque talenta exoret. ad haec Timo, qui nequitiam eius parum viderat, 'O hominem,' inquit,

'optumorum hominum optumum!
non is mihi mos est, indigentem ut auxili
excutiam amicum. novi hominem, dignissumum
cui subveniatur. subveniam, pecuniam
solvam roganti, rursus ut liber siet.'

tenet idem Timo quae de hominum fallaciis dici solent,

repetit haec ipse, ita tamen ut inane potius quam solidum crepent: 'pictura,' ait,

> 'sane quam placet:
> pictura qualem ostendit, talem re putes.
> nam ex quo per animos repsit fraus et intimos
> exedit homines, interiora neglegas.
> sunt quod videntur ista. valde operam probo.'

dicit quod sentit, fateor, sed sententia hariolantis est et a re prorsus abhorrens. bene vult omnibus, per saturam bene facit: non igitur vera haec benevolentia est, nam verae severitatem quandam inesse minime poetam nostrum fugerat. quod nondum in homine malitiam Timo agnovit, ideo nec probitatem satis perspectam habet. longe abest a rerum veritate: amicos habet instar hirundinum, ad prima frigora avolaturos. quem unum nosse poterat virum integrum, vilicum suum, hunc nihil a ceteris distare putat. dilabitur res neque dilapsam dominus sentit. instat vilicus, docet nihil iam reliquum esse: surdus est. felix, omnium patronus in aprico scilicet mari navigat, nullis umquam fluctibus turbando.

## CCCXII

Plautum vero adulescentem, cum ad notandos hominum mores vel maxime vigeret ingenio non desipientis fuisset intra Lycei parietes continere? nullam illic Staphylam novisset: nec τὴν ἐγκύκλιον Stasimus aut Pseudolus didicit. versetur inter rerum cottidianarum fluctus adulescens, quem Plauti similem esse oportet, ita tamen ut ipse tranquillo sit animo. quid? urbis vias non is optime novit qui circum compita desidiosus obambulat? quid? qui ludum spectat, non eum alea, loculi, tabula, ludentium voltus multo magis delectant? qui inter strepitum rerum cessat ipse cogitatque, capere auribus verum vitae sonum et quid velit quid celet intellegere non multo melius poterit quam qui a turba semotus libris operam dederit? vitam enim libri aut nullam ostentant aut

eam quae multis ante saeculis fuit, ratiocinandi potius quam singula oculis notandi facultatem exacuunt, scripti autem sunt ea lingua quae iam pridem obsoleverit. neminem ista disciplina eo produces ut positos ante oculos mores videre et inridere possit.

## CCCXIII

Recitanda sunt cum adfectu carmina : nihil enim est quod citius velut adflatu quodam in alios transeat quam animi perturbatio. et primum quidem perlegendum est carmen, ut unum opus, quidque in universum velit, in quantum discipulo captus est, explicandum. deinde singula ita percurrat magister ut eo duce videant pueri quae deinceps poeta viderat aliudque ex alio nectant. quod cum diligenter factum erit, tum demum ad ediscendum transibitur ; iam autem apparebit maximam carminis partem discipulos, qui quidem neque mente neque adfectibus hebetes sint, imprudentes edidicisse. unde illud haud iniuria colligas, etsi multa optimorum poetarum scripta quotannis a tota classe accurate diligenterque, quemadmodum diximus, tractanda sint, non tantundem omnibus neque eadem carmina esse ediscenda. aliquid certe ab omnibus exigetur, quod praecipue ad formandam vocem adhibebitur ; ulterius indolem cuiusque et discendi facultatem respiciet magister, cum haud minus in ediscendis versibus quam in lyrae tibiaeque modis alius alii sit dissimilis ; aliquid denique ipsi puero permittendum est, ut quod velit deligat.

## CCCXIV

Haec apud veteres Scythas opinio fuit, cum quis moreretur, superesse et animam, quae ad sedem animarum se reciperet, et imaginem nescio quam, quae circum ea loca, ubi vivus vitae laboribus functus esset, diu volitaret, ita tamen ut sempiterna non esset. claram hanc primum ac vivo

similem mox marcescere et evanescere paullatim, postremo nusquam esse, non vestigio non memoria sui vivorum coetus attingentem. haud alia meo iudicio illa quoque immortalitas est quam mortuo poetae vel pictori temere concedimus. ita supersunt ut umbris similes sint, magis in dies magisque extabescant, interitu denique ut sero ita non dubio extinguantur. non iam, ut ante, movere animos hominum voce humana, non lacrimas, non risum elicere, non earum quicquam voluptatum, sive tristium sive laetarum, concitare possunt, quae penes interpretem Musarum sunt. pelluntur e foro ac luce, iam nocturnam ad lucernam evolvuntur, mox in Stilonum ac Varronum manus deveniunt. illorum si frui quis colloquio volet, eo se instruat oportet, ut a volgi oculis tamquam involucro quodam seiunctos—seiunguntur autem cottidie longius—dispicere et contemplari possit, saeculi mores alieni noscat, inter aliena versari, lingua non sua loqui consuescat.

## CCCXVI

Nec spernendam rem hic perficit. exculta enim vita hominum ac tot rebus diffluente non cuiusque est oblectationem et liberalem et salutarem multis hominum milibus praebere. obsolescunt enim venandi ceteraeque corporis voluptates : neque enim ubi exerceantur locus est, cum vita haec tam multiplex urbana ubique ingruat, omnia occupet ac possideat. ad mentem confugiendum est, sterilem sane et ex se ipsa perpauca detexentem. quotus quisque est quem quae viderit enarrantem multum vidisse dicas? hinc apud scriptores nostros nimii ubique amores atque odia, ubique naufragia ac caedes et ingeniorum, quales numquam fuerunt, immanitates. sunt imbecilli, videri fortes volunt. eo res mox deducetur ut non legere librum videaris sed decumanos excipere fluctus, maris aestu, qui nusquam fuit, contundi. his temporibus qui vendibilem librum nec tamen ineptum scribit civitati multum prodest, multitudinem roboris sui

cogitatione facit robustiorem. neque illud abest periculum, fateor, ne tam dilucide scripta legentes intellegere sibi multi videantur quae parum intellexerint: nimium sibi nonnulli placebunt, sunt adulescentuli complures qui se quoque germanos esse Cicerones arbitrantur. hoc tamen ut obsit, prodest illud in universum, quod talibus de rebus tam iucunde tot homines tam multa edocentur, quod posse eas a se intellegi sentiunt, quod valent magis vigentque ingenio quia valere sibi videntur.

# NOTES

Exercise IV. l. 8. **linquenda Tarentinis**; the saying is mentioned by Livy, xxvii. c. 16.

XI. l. 14. **Lentulos et Labienos**; the rhetorical plural (here hostile or contemptuous). A string of *four* names would look a little inartistic in Latin; it is perhaps best to re-arrange them.

XIV. l. 8. **solitus esset**: the English suggests that this clause is part of what is quoted from Plutarch; hence oblique subjunctive. It is not so in fact; **solebat** would be justified.

XXVIII. l. 21. **devicissent**: or **devicerant**, but it seems likely that this clause is thought of as oblique (a consideration present to the minds of the conspirators).

XXXIV. l. 12. **neque aurem praebuit et tam constans fuit**: besides the normal **et . . . et** and **neque . . . neque**, Latin also admits **neque . . . et** (Greek *οὔτε . . . τε*). See also Exercise CVI. l. 10.

XLIII. Menander: the Anapaests are meant to give the effect of the English verses. The passage from Menander is in fact in Trochaic Tetrameters.

XLVI. l. 1: Latin uses **cum** just as English uses 'when,' to introduce a subsequent event.

XLVIII. l. 17. **arbitretur**, l. 19, **credat**: relative clauses dependent on an infinitive, and really forming part of the Infinitival Clause, are regularly in the subjunctive.

L. l. 15. **et nihil agentes**: permissible, and, in this context, rather more natural than **nec quicquam agentes**.

LIII. l. 12. Deanery of Lincoln: **decānus** is a Dean, and his office would be **decanatus**, but any priesthood will serve, if we proceed on the principle of writing only what Cicero or Quintilian would have understood.

LX. l. 11. **de lana caprina**; Horace, *Epp.* I. xviii. 15.

LXIII. l. 4. bull-dogs: **Molossi** perhaps (Horace, *Epodes* vi. 5). 'come off' is **discedere (victor** or **victus)**, but some briefer phrase such as **quid possent** would be in place here.

l. 8. **Stilicho** was a Vandal by birth; he is known to us only as capable and successful, but it is possible that he was accused of blundering, in his early days.

LXIV. l. 11. **recusaturus fuerit**, or **displiciturum ei fuerit** (not **esset**), seems to be required by the English 'would have been' (the writer looks back upon this possibility or contingency from the point of view of his own time).

LXXVIII. l. 18, in **haesere animi, animi** is the old locative, Part I. 124.

XCIV. l. 15. **in mensa pingere castra mero**, Tibullus, I. x. 32.

l. 18. **volenti erat**, a Greek construction used not unfrequently by Livy.

XCVIII. l. 8 *f.* **qui et natus sit—creet—gesserit**, etc.: the subjunctives answer to the English indefinite article, '*an* ancient state.' The clauses are adjectival in this context (Part I. 40, 41). So in Exercise L. l. 1, '*a* situation very unusual.'

XCIX. l. 24. **malorum Ilias** (*κακῶν* 'Ἰλιάς, Demos. *De Falsa Leg.* 148), **Ilias tamen**, 'a great romance'; Homer is generally regarded as a 'classical' rather than a 'romantic' poet, but the word 'romance' is not used in any strict or subtle sense here. The Iliad, Aristotle says, is *παθητική*, *i.e.* full of *πράξεις φθαρτικαὶ ἢ ὀδυνηραί*, *Poetics*, c. 11 and c. 24.

CXV. l. 5. **dici audivisti**, 'you have heard him spoken of': **audio** may be followed either by acc. and infin. or acc. and participle. In the passive only the infin. is possible.

The late Dr. Ogilvie (in *Horae Latinae*, p. 122) shows that Cicero used the infinitive in the case of a formal or solemn deposition; **Heium iuratum dicere audistis; ut Sopatrum dicere audistis** (*In Verr.* ii. 5, and iv. 40). In Ex. CLIV. l. 11, the participle will be appropriate.

CXVIII. l. 6. **Sosiis**, Horace, *Epp.* I. xx. 2.

l. 10. **hostis ex amico**, a declared, public enemy. 'War declared.' **inimicus** is the normal word for a private, personal enemy.

CXIX. ll. 14-15. 'brutal English journal, the *Times*'; it seems impossible to construct any intelligible and brief phrase for this in classical Latin.

CXX. l. 14. **Bulgatium**: suggested by Lucilius' picture of the miser and his money-bag (**cum bulga cenat, dormit, lavat, omnis in una est | spes homini bulga**, a fragment of Bk. vi.).

CXX. l. 19. **quantillam rem**: **rem** is ambiguous; **res** in the singular often means '**estate.**'

CXXXV. l. 14. **iuvit sumpta ducem**, Lucan, *Phars.* ix. 200 (Cato reviewing Pompey's career).

CXLVIII. l. 7. **Σπάρτην ἔλαχες**: this much-quoted fragment of the lost *Telephus* of Euripides seems to have been early misunderstood; *κόσμει* really meant 'rule' or 'control,' so that the sentiment was 'keep your commands for your own subjects.'

CXLVIII. l. 13. **illustravisset**: oblique, a precedent related by Plutarch.

CLVIII. l. 14. **si vellemus, impetraturi**, Part I. 58. So Ex. CLXI. ll. 16, 17.

CLXXVI. l. 8. **ut . . . posuerim**: the Subj. is not due to **ut**, but is like **adfirmaverim** in LXXIII. l. 4.

CXCVI. l. 9. **ne supplicii quidem**: it seems clear that **ne . . . quidem** was used in Latin where English has 'neither' or 'either,' Livy, XXXV. c. xlii. 1, **ne ab Antiocho quidem cessabatur** (Antiochus was not idle either).

CCII. ll. 21-22. **si peccavissem, nec . . . deest**: a construction of the type of **possunt, si velint.**

CCXII. l. 9. **novorum adsciscendi,** Intr. p. 3.

CCXIV. l. 7. **sesqueulixem,** 'a Ulysses and a half'; this was the title of one of Varro's *Saturae*. **reditus,** sc. **erat,** our return was by . . .

CCXVI. l. 3. **κατὰ λεπτόν**: or **minutatim**, but the Greek phrase seems slightly more natural here.

CCXXI. l. 20. **apud Lamias,** at Formiae, Hor. *Odes,* III. xvii. 'St. Leonard's' in later Latin would no doubt be **Fanum Sancti Leonardi.**

CCXXII. l. 19. Nelson's English does not construe quite exactly here; he seems to mean 'among whom I beg you will allow me to consider you, and [will feel assured] that I am, etc.'

ccxxvii. ll. 25, 26. **κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων**, *Iliad* xxiv. 528 (the *πίθοι* of Zeus); **comes Astraeae Talos**, see Spenser, *Faerie Queene*, Book v. canto i. 3-13, and 30-50. Shelley's 'giant of Arthegall' is, no doubt, the overthrown giant of 30-50, and not Talus. Exactness is unattainable in a passage like this. The Cretan Talos of ancient legend was a man of Bronze, not of Iron.

ccxxviii. last line: **Persius**, *Satires* v. 92.

ccxli. l. 2. **mensus ne sis**: Cic. *Pro Murena* 65, **misericordia commotus ne sis** (a Stoic injunction). There has been much discussion about the use of the prohibitive forms, **ne feceris** and **noli facere**. Professor Elmer has shown that the former is used when the prohibition is urgent, but I am not convinced that **ne feceris** in itself is urgent. It is the simple and elementary form, which a speaker naturally uses when he has not time to devise courtesies. So, too, **noli** is out of place in the mouth of the lawgiver or moral teacher. 'Thou shalt not kill' is **hominem ne occideris** or **ne occidito**. **Vendere cum possis captivum, occidere noli** occurs in Satire, and is said in the spirit of Clough's *Decalogue*.

ccxlix. l. 10. **introrsum turpis etc.**: Hor. *Epp.* i. xvi. 45.

ccliv. 'Thy will': **voluntas** is not exactly *θέλημα*, and I doubt whether within the limits of Ciceronian Latin it could be said 'fieri.'

cclvi. Ennius: the line is **atque atque accedit muros Romana iuventus** (*fr.* 57, Vahlen[2]).

cclxi. (*b*) l. 5. **διατριβήν**: the *διατριβαί* of the Cynics, which had some influence on Roman Satire (**sermones**), seem to be the nearest approach to a 'sermon' in the ancient world. Other philosophers usually addressed a more or less select audience of pupils.

cclxiii. l. 7. **fulsere crepuscula**: cf. Stat. *Theb.* i. 344 (Dawn).

cclxxi. last line: cf. Juv. *Sat.* xiv. 264.

cclxxviii. l. 10. **Papinio**: Statius' father appears to have written a prose translation of Homer. There is no evidence that either father or son translated him into verse. The *Ilias Latina* of 'Italicus' is too brief and bare to be comparable to Pope's Homer.

cclxxxvii. last line: cf. Statius, *Silvae* iii. ii. 118 (Alexander's Tomb).

ccxcii. l. 6. **Philetae canes**: cf. *Anthol. Pal.* xi. 322, 4 (*Καλλιμάχου πρόκυνες*—Philetas' *Lexicon* makes him slightly more appropriate here).

CCXCVI. l. 6. **poetae veteris Graeci**: Alcman, *βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην κ.τ.λ.*

CCXCVIII. l. 11. **δὶς τόσση κ.τ.λ.**: Apollonius, *Argon.* i. 740-1 (Amphion).

CCCI. l. 6. 'one clear harp': *In Memoriam*, I.; 'Tennyson in his later years believed that Goethe was the poet alluded to' (Bradley, commentary on *In Memoriam*).

CCCII. ll. 13, 14. **τῶν πιθανῶν**, etc.: suggested by the well-known passage in Aristotle's *Ethics*, Bk. I. (1094 *b* 26).

CCCIV. l. 11. **ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ**, *Iliad* xxii. 199.

THE END